

dorum gentes; ita S. Hieronymus et Arias, qui ad Jobab pariter referunt novi orbis partem illam que dicitur Parias. Reliquorum qui hic nominantur propagines incognita sunt.

VERS. 31. — *ISTI SUNT FILII SEM SECUNDUM COGNATIONES ET LINGVAS. Hinc Philastrius lib. de Heresib. c. 106, firmiter credendum esse docet quod aut turrim Babel variae fuerint linguae, sed quas homines omnes tunc intellexerint; in dispersione verò Babylonica, in quoque patrefamilias unam tantum mansisse linguam, à lingua alterius cujuslibet patrefamilias diversam. Hinc accedit Nicolans de Casa, qui in Compendio c. 5. ait, ad eò fuisse copiosam primam dicendi artem ex multis synonymis, ut omnes, que sunt postea divisa lingue, continuerent in ipsa, ipseque Adam, si quis illis loqueretur, omnes intelligeret, eum omnia vocabula imposuerit, et multis perita linguarum subito concessa sit.*

Verum hoc falsum esse patet c. seq. ubi ante hanc dispersionem terra dicitur fuisse labii unius et lingue. Est ergo hic prolepsis sive anticipatio; lingue enim hic vocatur, non que jam erant, sed que paulò post erant futurae in Babel; ita S. August. et Rupert. et alii.

VERS. 32. — *AB HIS DIVISE SUNT GENTES. Communitè S. August., Hieron., Prosper, Ephiphanius numerant 72 gentes et lingvas, in quas divisi sunt homines in dispersione Babel: tot enim persone, puta septuaginta duæ, hoc capite nominatae et enumeratae referuntur, nimirum 14 ex filiis Japhet, 51 ex filiis Cham, 27 ex filiis Sem. Addunt enim ipsi Cainan, quem addunt Septuag. Verum c. seq. ostendunt demandum esse Cainan. Rursùm demanda sunt hic nomina pa-*

CAPUT X

1. Erat autem terra labii unius, et sermonum eorundem.

2. Cùmque proficiscerentur de oriente, inveniunt campum in terrâ Sennaar, et habitaverunt in eo.

3. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis et bitumen pro cæmento:

4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen peringat ad cælum: et celeberrimus nomen nostrum antequàm dividamur in universas terras.

5. Descendit autem Dominus ut videret civitatem et turrim, quam edificabant filii Adam;

6. Et dixit: Ecce unus est populus, et unum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.

7. Venite igitur, descendamus, et confundamus illi-

trum: nec enim patres diversam à filiis fecerunt familiam aut gentem; his ergo dempsit restant 55 illi, à quibus singulis singulae gentes ortæ sunt, cùm in dispersione Babel singulae propriam linguam vel idioma sortitæ sunt; quæ de re vide fuscè Perer. lib. 15 et 16.

Ex dictis sequitur gentes has toto orbe, ac consequenter tam per inferius quàm per superius hemisphærium esse dispersas; unde sequitur alias aliis esse antipodes, et adversis vestigiis insistere et ingredi. Antipodes esse negavit Plinius l. 2. c. 67. Cicero, Mela et Nazian. Epist. 71, ad Posthumianum, et S. Augustinus lib. 16 de Civit. cap. 9. Ratio eos movens erit Oceani inter hunc orbem et novum interjecti immensitas, quæ eis videbatur esse impermeabilis, ut ex hoc orbe ad novum transire non poterint homines. Sed ad hanc rationem respondi c. 8, v. 17. Jam enim ex navigationibus Hispanorum constat Americam ab hominibus incoli eosque nobis esse antipodes.

Rursùm hinc colligitur gentes has dispersas esse per omnia mundi climata, atque habitare non tantum intra Tropicos, sed etiam extra eos, ac penè sub polis, insuper sub Æquinoctiali, sub quo veteres olim posuerunt Zonam torridam quam ob ætatem censuerunt esse inhabitabilem. Sed ex iisdem Hispanorum navigationibus constat Zonam torridam ab hominibus incoli esseque temperatam, idque tum multitudine imbrum, tum dierum æstivorum brevitate, tum Oceani viciniam, tum ventis perpetuis quibus perflatur, tum aliis divinitus providentiæ modis et remediis, ut docet oculatus testis Josephus Acosta lib. 2 de novo Orbe, cap. 8 et seq. Sic enim Deus implet decretum suum, quo sanxit cap. 1, v. 28: *Replete terram.*

CHAPITRE XI.

Or, avant que les enfans de Noë se séparassent pour se répandre par toute la terre, il n'y avait qu'une langue et qu'une même manière de parler pour tous les hommes: mais environ cent ans après le déluge, la diversité des langues fut introduite en cette manière.

2. Les enfans de Noë s'étant multipliés, et se trouvant trop resserrés entre les montagnes de l'Arménie où l'arche s'était arrêtée, furent obligés d'en sortir; et comme ils partaient de ce pays qui est du côté de l'Orient, et qu'ils s'étendaient vers le midi, ils trouvèrent une vaste campagne dans le pays de Sennaar, où fut depuis bâtie la ville de Babylone, et ils y habitèrent.

3. Et voyant que cette terre étoit très-propre à faire des briques et abondante en bitume, ils se dirent l'un à l'autre: Allons, faisons des briques, et cuisons-les au feu. Ils se servirent donc de briques, comme de pierres; et de bitume, comme de ciment.

4. Et ils s'entre dirent encore: Venez; faisons-nous une ville et une tour qui soit si élevée, qu'elle paraîsse aller jusqu'au ciel: rendons ainsi notre nom célèbre à tous les siècles, avant que nous nous dispersions par toute la terre.

5. Or, le Seigneur, irrité de ce dessein plein d'orgueil, descendit, en quelque sorte du haut du ciel, pour voir la ville et la tour que les enfans d'Adam bâtissaient sur la terre.

6. Et dit: Ils ne sont tous maintenant qu'un peuple, et ils ont tous le même langage; et ayant commencé à faire cet ouvrage, ils ne quitteront point leur dessein qu'ils ne l'aient entièrement achevé.

7. Venez donc, descendons en ce lieu, et confon-

linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.

8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, et cesserunt edificare civitatem.

9. Et ideò vocatum est nomen ejus, Babel, quia ibi confusum est labium universæ terre; et inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

10. Haec sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.

11. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis et genuit filios et filias.

12. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, et genuit Sale.

13. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, et genuit filios et filias.

14. Sale quoque vixit triginta annis, et genuit Heber.

15. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, et genuit filios et filias.

16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, et genuit Phaleg.

17. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis tribus annis, et genuit filios et filias.

18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, et genuit Reu.

19. Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis, et genuit filios et filias.

20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, et genuit Sarug.

21. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, et genuit filios et filias.

22. Vixit verò Sarug triginta annis, et genuit Nachor.

23. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis, et genuit filios et filias.

24. Vixit autem Nachor viginti novem annis, et genuit Thare.

25. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem et novem annis, et genuit filios et filias.

26. Vixitque Thare septuaginta annis; et genuit Abram, et Nachor, et Aran.

27. Haec sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor et Aran. Porro Aran genuit Loth.

28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terrâ nativitatibus sue in Ur Chaldeorum.

29. Duxerunt autem Abram et Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai; et nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Meldhae, et patris Jeschæ. 30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

31. Tulit itaque Thare Abram filium suum, et Loth filium Aran, filium filii sui, et Sarai nuntium suam, uxorem Abram filii sui, et eduxit eos de Ur Chaldeorum, ut irent in terram Chanaan; et veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi.

32. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, et mortuus est in Haran.

dons-y tellement leur langage, qu'ils ne s'entendent plus les uns les autres. Dieu exécuta sur-le-champ ce qu'il avoit pensé: il confondit leur langage, et les obligea de se séparer.

8. C'est en cette manière que le Seigneur les dispersa de ce lieu dans tous les pays du monde; et qu'ils cessèrent de bâtir cette ville, où ils avoient résolu de demeurer.

9. C'est aussi pour cette raison que cette ville fut appelée Babel, c'est-à-dire, confusion, parce que c'est là que fut confondu le langage de toute la terre; et le Seigneur les dispersa ensuite dans toutes les régions du monde.

10. Voici maintenant la généalogie des enfans de Sem, par Arphaxad seulement, parce que cette histoire le regarde plus particulièrement. Sem avoit cent ans, lorsqu'il engendra Arphaxad, deux ans après le déluge.

11. Et Sem, après avoir engendré Arphaxad, vécut cinq cents ans, et il engendra des fils et des filles.

12. Arphaxad, ayant vécu trente-cinq ans, engendra Salé.

13. Et Arphaxad, après avoir engendré Salé, vécut trois cent trois ans, et il engendra des fils et des filles.

14. Salé ayant vécu trente ans, engendra Heber.

15. Et Salé, après avoir engendré Heber, vécut quatre cent trois ans, et il engendra des fils et des filles.

16. Et Heber, ayant vécu trente-quatre ans, engendra Phaleg.

17. Et Heber, après avoir engendré Phaleg, vécut quatre cent trente ans, et il engendra des fils et des filles.

18. Phaleg ayant vécu trente ans, engendra Reu.

19. Et Phaleg, après avoir engendré Reu, vécut deux cent neuf ans, et il engendra des fils et des filles.

20. Reu ayant vécu trente-deux ans, engendra Sarug.

21. Et Reu, après avoir engendré Sarug, vécut deux cent sept ans, et il engendra des fils et des filles.

22. Sarug ayant vécu trente ans, engendra Nachor.

23. Et Sarug, après avoir engendré Nachor, vécut deux cents ans, et il engendra des fils et des filles.

24. Nachor ayant vécu vingt-neuf ans, engendra Tharé.

25. Et Nachor, après avoir engendré Tharé, vécut cent dix-neuf ans, et il engendra des fils et des filles.

26. Tharé ayant vécu soixante-dix ans, engendra Abram, Nachor et Aran.

27. Voici donc les plus célèbres d'entre les enfans qu'eut Tharé: Tharé engendra Abram, Nachor et Aran. Or Aran engendra Loth.

28. Et Aran mourut avant son père Tharé, au pays où il étoit né, dans Ur, ville des Chaldéens, qui s'étoient établis dans la Mésopotamie.

29. Mais Abram et Nachor survécurent à Aran, et furent des femmes. La femme d'Abram s'appelait Sarai, et celle de Nachor s'appelait Melcha, fille d'Aran, qui fut père de Melcha et père de Jescha.

30. Or Sarai étoit stérile, et elle n'avoit point d'enfans. Dieu apparut alors à Abraham son mari, et lui ordonna de sortir de ce pays pour aller dans la terre de Chanaan. Abram communiqua cet ordre du Seigneur à Tharé son père, qui se hâta de l'exécuter.

31. Tharé ayant donc pris Abram son fils, Loth son petit-fils, fils d'Aran, et Sarai sa belle-fille, femme d'Abram son fils, les fit sortir d'Ur en Chaldée, pour aller avec lui dans le pays de Chanaan; et étant venus jusqu'à Haran, distante d'Ur d'environ cent lieues, ils y habitèrent sans aller plus loin.

32. Et Tharé après avoir vécu deux cent cinq ans, mourut à Haran.

VERS. 1. — ERAT AUTEM TERRA LABII UNUS: Loque-
re unius, scilicet Hebraica, est metonymia. Hebraea
enim primam et communem omnium hominum, tam
ante diluivium, quam post usque ad fabricam turris
Babel fuisse loquam et linguam, patet ex etymis et
significatione nominum Adam, Evae, Cain, Seth, Babel,
Phaleg, Abraham, Isaac, Jacob et aliorum, quae
tradit ipsa Script. in Genesi. Horum enim nominum
origo et significatio, non ex aliâ quam Hebraea lingua
peti potest. Estque hæc sententia S. August. lib. 16
de Civit. c. 11, Origen., Chrysost., Diodori, Hieron. et
ceterorum, præter unum Theodoretum, qui falsò putat
primam linguam fuisse suam Syriacam (fuit enim Theodoretus
Syrius, ut pote natus Antiochiæ in Syria, et
Cyri in Syria postea episcopus), Hebraeam verò postea
cepisse, ac primò Mosi à Deo esse traditam; constat
enim peritis, Syriacam dialectum esse linguæ Hebraeæ,
ex ejusque corruptione prognatam; sicut Gallica, Italia
et Hispanica à Latina corrupta descendunt.

Goropius Becanus vult primam mundi linguam
fuisse Cimbricam, sive Flandricam ab eaque omnia
nomina S. Script. puta Adæ, Evæ, Cain, Mathusalem,
etc. descendit. *Adam*, inquit, dicitur quasi *had dam*, id
est, edium aggeris. *Adam* ergo idem est quod agger
invidiosæ fluctibus objectus. *Eva* dicitur quasi *Eu vat*,
id est, seculi vas, quia in Evâ principium omnium
seculorum fuit conceptum. *Abel* dicitur quasi *hat belg*,
id est, odium belli, scilicet à Caino fratre sibi illati.
Cain dicitur quasi *kaet ende*, id est, malus finis. *Ma-
thusalem* dicitur *mactu salich*, id est, salva te, scilicet
ab instante diluvio. *Henoah* dicitur quasi *et noeh*, id
est, juramentum (Dei cum hominibus) adhuc, scilicet
perdurat, etc. Verùm hæc non respondent etymis quæ
dat Script.; illa enim præter alium sensum aliamque
originem iugerunt. Quare in hisce etymis tam operosè
ex lingua Belgicâ accersendis, Goropius non aliud
quam ingenii sui acumen ostendit, quod utinam rebus
solidioribus et utilioribus applicuisset! Unde vir do-
ctus de hoc opere censuit, illud ingenii duntaxat esse
ludum lusumque.

VERS. 2. — COMQUE PROFICISERENTUR DE ORIENTE.
De Armeniâ, quæ Babiloni est orientalis, ubi cessante
diluivio arca quieverat; ibi ergo mox à diluvio man-
sisset videtur Noe cum suis, ita Epiphani. initio lib. de
Hæresib. Perer. et alii. Noe secuti sunt ejus nepotes et
poster: idque, ut notat Josephus et Plato lib. 5 de
Legib. metu diluvii habitantes primùm in montibus,
inde sensim metu abeuntes in valles et campos de-
scenderunt.

EVENERUNT CAMPUM IN TERRA SENNAAR. Nota: omnes
(hæc id neget Cajet.) qui tunc erant homines, ex Ar-
meniâ egressi videntur in Sennaar, id est, in Babilo-
nem, spe majoris et melioris soli, et ob situm ejus
commodiorem, utpote ex quâ facilis se quaeversum
dispargere possent, et circumquaque sibi invicem es-
sent et manerent contigui et vicini. Unde Abul. rectè
opinatur, Noe, qui tunc adhuc vivebat, interfuisse
edificationi turris Babel, ac fortè eam adjuvisse: aliqui

enim bono, alii et longè plures, malo fine eam ædifi-
cabant; omnes enim homines tunc erant in Babel;
unde et omnium ibi confusæ et divisæ sunt lingue;
ita quoque sensit Pererius, Delrio, et alii.

Nota. Hic locus non tunc, sed postea ab incolis di-
ctus est Sennaar uti et Babel, ab eventu. Sennaar enim
hebraicè idem est quod excussio dentium, quia den-
tati, id est, superbi homines ædificantes Babel, ibi suis
dentibus, id est, suâ lingua, privati sunt, inquit Rupert.
et S. Gregor. scribens in Psalm. 4 Pœnitent. ad v.
penult. *Benignè fac, Domine, in bonâ voluntate tuâ
Sion*, qui et tropologiam addit: *In Sennaar*, in-
quit, *habitant dentati, qui detractionum morsibus proxi-
mos lacerant; horum dentes excutit Deus, cum illorum
facta, simul et verba confundit.* De eo quippe scriptum
est: *Dentes peccatorum contrivisti.* Et iterùm: *Domini
conteret dentes eorum in ore ipsorum.*

VERS. 5. — HABUERUNTQUE LATERES PRO SAXIS. Quia,
ut tradit Theod. in Babilone magna erat saxorum
inopia. Addunt aliqui id eos fecisse metu diluvii ignis,
quo intellexerant rursùm conflagraturum quandoque
esse mundum: lateres enim cùm decocti sunt, vali-
dissimè resistunt igni; lapides verò igni solvantur in
calcem. Si hoc cogitârunt, insipienter cogitârunt;
nam uti nihil diluvio aque, ita nihil diluvio ignis in
fine mundi, quod longè potentius erit, resistere po-
terit.

VERS. 4. — TURRIM, CUIUS CULMEN PERTINGAT AD
COELUM. Turrim quæ sit altissima; et hyperbole. De
altitudine hujus turris mira habet S. Hieron. in c. 4.
Isaie, scilicet eam habuisse altitudinem quatuor mil-
lium passuum, quæ efficiunt milliare magnum, sive
Germanicum. Addit Joseph. Nemrodianos cogitasse
hanc turrim ædificare eâ altitudine, ad quem dilu-
vium, si rediret, ascendere non posset; vide stultitiam
hominum. Manserunt reliquæ hujus turris, usque
ad tempora S. Hieronymi et Theodoretii, ut ipsi fa-
tenter.

Nota turrim hanc fuisse in ipsâ urbe Babel, ut in-
dicant Hebraea, v. 9, licet alii putent eam fuisse non
in Babel, sed in vicinâ urbe Chalanne.

Secundò, auctor hujus fabricæ non fuit Noe, quia
adhuc vivebat, sed Nemrod; ita Josephus, August. et
alii.

CELEBRENUM NOMEN NOSTRUM. Abul. hos fabricato-
res Babel excusat à peccato, non solum mortali, sed
etiam veniali. Primò, quòd turrim hanc tantum ædifi-
cârunt ut esset specula tam activa, quam passiva,
ut scilicet eminus conspici posset ab omnibus circum-
vicinis habitantibus, ut satis temporibus singuli in Ba-
bel, de rebus tum privatis, tum publicis et communi-
bus acturi redire et convenire possent; et quæ de causâ
etiamnum fiunt turres. Secundò, esto voluerint cele-
brare nomen suum hæc turri; hoc non erat malum;
nam licet querere famam et gloriam, dummodo res ex
quâ queritur gloria, non sit mala, sed bona, nec de-
trahat honori divino. Adde inter hos fabros erat Noe
vir sanctus, princeps et pater omnium, qui per

misisset hanc turrim ædificari ad malum finem. Ita
Abulensis.

Verùm meliùs S. August., Chrysost., Josephus, et alii
passim censent, hos fabros peccasse vanitate et super-
bia: quid enim aliud significat tam alta et insana in
caelum usque turris structura? Secundò, cùm aiunt:
Celebrenum nomen nostrum, quid aliud indicant quam
finem et scopum sui conatus et laboris improbi esse
ambitiosam cupidinem nominis æternandi? Tertio, Deo
ingratum et exosum fuisse hoc opus, patet ex eo quòd
illum ipse impediverit, et ædificantes muletârît dissonan-
tiâ et diversitate linguarum, ut se invicem amplius
intelligere non possent. Addit quartò, S. August. l.
16 de Civit. c. 4, Nemrod ædificasse Babel, ut esset
ars suæ tyrannidis et impietatis. Unde ex hæc fabrica
nata esse fabulam gigantum, bellum celo inferentium,
de quâ dixi c. 6, v. 4, docet Aleimus Avius, et indicat
Sibylla lib. 5. Noc huic fabricæ interfuit, non præfuit,
quia eam impedire non potuit; prævaluit enim Nemrod
cum suis; si eam adjuvit Noe, bono fine, et ad gravius
malum vitandum, eam adjuvit.

Uti tamen advertit Deum permisisse hoc peccatum,
et hanc turris fabricam ad tempus, et ad certam altitu-
dinem, quia hæc occasione intendebat ingens efficere
hominum, scilicet dispargere homines per omnes provin-
cias, ut totus orbis repletur et coelestis ab homini-
bus, quod magnum fuit totius orbis ornamentum, æquè
ac commodum.

Moraliter S. Chrysost. hic homil. 50, hisce fabris
Babel similes dicit esse eos qui splendidas domos,
lavacra, porticus ædificant hoc fine, ut in eis æternum
nomen suum, additque: *Quod si omnino æternam me-
moriam amas, ego tibi viam monstrabo, nimirum, si has
pecunias in manus inopum dispenses, relicti lapidibus
et splendidis ædificis, villis et balneis. Hæc memoria im-
mortalis; hæc memoria innumeros tibi thesauros parit,
hæc memoria à sarcinâ peccatorum alleviat, hæc multa
tibi fiduciam apud Deum conciliat.* Probat id ex
Psalm. 111: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia* (id est,
elemosyna) *ejus manet in seculum seculi: « Vidiisti
« memoriam quæ se in omne seculum extendit? »*

ANTEQUAM DIVIDAMUR. Ita et Septuag. unde quod
hebraicè est *pen naphuts, ne fortè dispergamur*, sub-
audi, nondum ullo memorie, nominis et gloriæ nostræ
relicto monumento. Sciebant enim se propediem
dispargendos; præveniunt ergo et accelerant hoc sui
monumentum, et hanc fabricam, ne ab eâ morte,
vel dispersione præventi, impediuntur.

VERS. 5. — DESCENDIT AUTEM DOMINUS. Non locum
nutando (est enim ubique) sed cominùs inspicendo,
impediendo, et vindicando, inquit Cajet. Loquitur
enim Script. de Deo anthropopathòs, q. d.: Deus
exactè, seriò, lentè et maturè inspexit et considera-
vit hanc turrim, atque superbiam hanc hominum ædifi-
cantium insanam et intolerandam, ut eam impediret
et puniret, perinde ac si eâ celo in terram Sennaar
descendisset, uti faceret homo, vel angelus iudex,
ita S. August.

Unde rectè notat ex Phil. et S. Chrys. Delrio, quòd

S. Script. quòd vult indicare Deum lento gradu pro-
cedere ad iudicium et vindictam, dicat illum descendere,
id est, accedere ad nos, ut rem totam claris cogno-
scat, et postea maturè noxios puniat. Sic descendit in
Sodomam, Gen. 18, 21; et in Judæam, Michæ 1, 3.

QUAM ÆDIFICABANT FILII ADAM. Qui ab adama, id
est, terrâ, orti, cum sint terrigenæ, nunc superbè in
caelum suâ fabricâ conscendere moliantur.

VERS. 6. — LABIUM LOQUELA ET LINGUA, UT DIXI V. 1.
VERS. 7. — VENITE IGITUR, DESCENDAMUS ET CONFUS-
DAMUS IBI LINGUAM EORUM. Sunt hæc verba Dei, quasi
consultantis, et insanam hominum machinationem et
superbiam detestantis. Putant aliqui Deum hic loqui
angelis: angelos enim adjuvisse hanc linguarum confu-
sionem; ita S. August. lib. 16 Civit. cap. 9, Philo,
Cajet. et Perer. Sed verius est Deum Patrem hic
loqui, non quidem alteri cuiquam Deo, ut objictebat
Julianus Apostata, sed suo Filio et Spiritui sancto, ut et
fecit c. 1, v. 26; et c. 2, v. 18. Sicut enim ibi creatio,
non angelorum, sed solus Dei fuit opus; ita pariter
fuit et hic hæc linguarum confusio; non enim
angelus cuiusque populi rector, suam et linguam indi-
dit (ut vult Origen. in c. 11 Numer.) sed Deus. Sicut
enim Deus solus per suam omnipotentiam menti illam,
ita et solus menti habitus sciencie et linguarum indere
potest; ita S. Chrysost., Procop., Raban., Rupert., et
alii passim.

Quare cognitio S. Scripturæ vel etiam linguæ Hebrææ
aut Græcæ, quam diabolus nonnullis Anabaptistis,
antea rudibus et idiotis, hausto holo et symbolo ana-
baptismi suggerit, non est habitualis aut permanens,
sed tantùm actualis quasi suggestio et inspiratio;
assistit enim sibi demon, ut suggerit hæc omnia perinde
ut nos, declamantis publicè, secretò carmina, vel ea
quæ declamanda sunt, suggerimus; imò subinde non
ipsi, sed per ipsos loquitur demon, ut enervumini,
vel possessi à demone, non tam videntur, quam
reverè sint. Id ita esse ex eo patet, quòd mox ut
ab hæresi ad sanam fidem et mentem redeunt, relicti
à demone, illiò in pristinam suam ruditatem et igno-
rantiam recidunt.

DESCENDAMUS. Dices: Jam vers. 5 descendit Deus.
ergo frustra rursùm hic descendit. Respondet S. Au-
gust. et Pererius hoc versu esse recapitulationem et
hunc versum præponendum esse versu 6. Sed huic
expositioni non favet vox *igitur*, quæ non recapitu-
lantis, sed inferentis et prosequentis est.

Resp. ergo, v. 5 descendit Deus, sed inchoatè
tantùm, et aliquosque, ut eminus è celo turrim hanc
intueretur. Unde ait Moses: *Descendit autem Dominus,
ut videret civitatem et turrim*: hic verò ulterius descen-
dit Deus in terram Sennaar, ut scilicet novâ operatione
suâ, in eâ lingua confundat; ait enim: *Venite, descen-
damus*, non ut videamus (jam enim vidimus turrim),
sed ut confundamus linguam eorum.

CONFUNDAMUS. Confundere, non significat hæc pufe-
facere, sed commiscere, uti confunditur vinum cum
aquâ illi commiscetur: et confunditur vox philomæ-
dum et stridule picarum et graculorum voces commi-

scuntur; hoc enim significat Hebræum *balal*, ex quo per crasin fit *bal*, idè geminata littera *bet* ad onomatopœiam fit *Babel*, unde nostri Germani videntur accipere suum *babellen*, et Galli *babiller*.

Sic ergo Deus hic commisit linguas, ut pro una Hebræa lingua, quam omnes callebant, singulis propriam et diversam inderet linguam; ita ut diam homines colloquerentur, unus græcè, alter latinè, tertius germanicè, quartus slavonicè, etc., loqueretur: que sanè magna linguarum et vocum erat commixtio et confusio, de quo rursum dicam v. 9.

Nota primò, in hac confusione, Deus tantum matrices linguas condidit, easque hominibus indidit: ex his enim ceteræ postea proginate sunt. Sic Hebraica, matrix et genitrix est Syriacæ, Chaldaicæ, Arabicæ; et Latina Italica, Valachicæ, Gallicæ, Hispanicæ; Græca Doricæ, Ionicæ, Eolicæ, Atticæ; Slavonica Polonicæ, Bohemicæ, Moscoviticæ; Germanica Helveticæ, Saxonicæ, Anglicæ, Scoticæ; Tartarica Turcicæ, Sarcamanicæ; Abyssina Æthiopicæ, Sabææ, etc., inquit Genebrardus.

Nota secundò, quàm vane sint hominum cogitationes coràm Deo: putabant hi fabri se à nemine impediri posse; ridet hanc stultam eorum præfidentiam Deus, ac reipsa ait: Levi flatu hoc opus dissipabo, nullis utar machinis: tantum confundam linguas fabrorum, ut uno petente lateres, alter præbeat cementum; uno hinc petente trullam, alter porrigat spatam; itaque implebo euncta confusione, ut invicem irridentes, et mutuo irascentes separentur, atque uti lingua, ita et animo confusi et pedefacti abeant et dispergantur in suam quisque regionem: quod pulchrè describit Marius Victor. libr. 50 in Genesim.

UT NON AUDIAT: Ut non intelligant invicem, non quidem singuli homines (sic enim nulla fuisset hominum societas), sed singulæ cognationes, puta 55, ut dixi cap. 10, v. 52; has enim Deus voluit sic separare et per orbem dispergere.

Nota, quomodò superbia fabrorum meruerit linguarum divisionem, quarum unionem in Pentecoste meruit humilitas Apostolorum, inquit S. Gregor. homil. 50 in Evangelia. Fuit ergo hæc poena peccati utilis generi humano: *Ut habitando orbi terrarum daret incolæ multæ congregationis opportuna dispersio*, ait Prosper. lib. 2 de Vocatione gentium, c. 4; *atque meminimus rectè damnatam superbiam*, ait Cassian. Collat. 4, c. 12, quò factum est ut non intelligeretur homo jubens homini, qui noluit intelligere, ut obicitur Deo jubenti, ait S. August. lib. 16 de Civit. c. 4.

VERS. 8.—ATQUE ITA DIVISIT. Cùm enim viderent quòd mutuo sese intelligere non possent, secesserunt et singuli in suas regiones dispersi sunt, uti jam explicui.

VERS. 9.—VOCATUM EST NOMEN EJUS BABEL, QUIA IBI CONFUSUM EST LABIUM UNIVERSE TERRÆ. Lingua scilicet omnium hominum.

Tropol. S. August. in Sent. sent. 221: *Duos, ait, in toto mundo civitates faciunt duo amores: Jerusalem*

facit amor Dei, Babyloniam facit amor seculi; interroget ergo se quisque, et inveniat unde sit civis.

Eres, scilicet non turris, sed urbis, ut patet ex Hebræo et Septuag.

A turri ergo, in cuius edificatione, per diversionem linguarum confusi sunt ædificantes, vocata est urbs integræ Babel, et ab urbe regio tota dicta est Babylonia, id est, confusio. Babel ergo nomen suum accepit non à Belo, qui primus fuit rex et dens in Babel, sed à rad. *balad*, id est, confundit. Unde Septuag. vertunt, et vocatum est nomen ejus *virpavis*, id est, confusio.

Urberem hanc (ut superius dixi) post 100 annos Semiramis incredibili magnitudine et magnificentia restauravit, turrim verò non altius excolit, sed mirè ornata templo Bel includit.

QUIA IBI CONFUSUM EST LABIUM. Id est, quia ibi pudore confusi sunt ædificantes Babel, cum se invicem amplius non intelligerent, inquit Pererius. Verum Hebræum *balal*, id est, confundere, non pedefacere, sed commiscere significat.

Secundò, Philo l. de Confus. ling. sic explicat, q. d.: Vitorum et impiorum societas à Deo confusa est in Babel, cum scilicet schismate distracta est, ne virtutem et bonos mores conspiciat evertere: nam linguæ confusæ dici non possunt, sed divise omnino. Sic enim ait Philo: *Docet Moses mysticè, quòd sicut contentus virtutum fovetur à Deo, sic confundi linguas, id est, conspiciam vitorum et impiorum cuneum dividi, muta surdaque fieri vitia omnia, ut nec loquendo, nec invicem consentiendo damnum afferant. Verum hic sensus mysticus est, per quem Philo litteralem evertere videtur.*

Tertiò, Philast. de Hæres. c. 106 arbitratur in Babel non linguas, sed intelligentiam linguarum esse confusam et divisam: putat enim ipse, ante fabricam Babel divisas fuisse hominum linguas, ut dixi c. 10, 51.

Verùm respondeo, *Deus confundit*, hebr. *balal*, id est, commiscuit linguam hominum, hoc est, unam linguam omnium hominum in varias dispescuit, easque inter se et inter homines permiscuit, ut dum plures simul loquerentur, non una vox et lingua, sed diversæ et confusæ multorum voces et lingue audirentur, eo modo quo dixi v. 7.

Cui adde elementa primæ lingue, puta litteræ, apud omnes gentes et linguas eadem manserunt, sed alter combineat et aliter trajectat; quod est confundere et commiscere. Sic et syllabæ multæ, quia et dictiones eadem manserunt, sed aliud et aliud hæc, aliud illa lingua significant: ut su Latinis porcum, Hebræis equum, Flandris silentium significat; unde explicans subdit Moses v. 7, *ut non audiat*, id est, intelligat, quisque vocem proximi sui. Denique aliis linguis multæ voces et phrasæ Hebrææ permixtæ sunt, v. g., *sac*, id est, saccus, et *keren*, id est, cornu, ab Hebræis accepta, pleræque gentes et lingue etiamnum retinent et usurpant. Plurima talia collegit Postellus et Avenarius, qui in suo Lexico Hebræo omnia penè verba Græca ab Hebræis derivat, per quandam litterarum trajectionem, computationem et commixtionem. Sic ex lingua

celticæ, sive hellicæ multa ab Hebræis esse deducta, cum iisque in fundo, sive in litteris radicalibus convenire, soletur et ingeniosè ostendere conatur Adrianus Scrieckius in suis Originibus, et in Europæ reditivâ, ubi ex etymis hellicis omnium penè nominum propriorum gentium, quæ sunt in Europâ, contendit probare celticam, sive hellicam linguam esse tantum dialecticam lingue hebrææ, eamque primò in Babel Japheti posteris fuisse inditam, quâ proinde usi sint præsci Græci, Itali, Hispani (qui inde, inquit, Celtiberi vocantur), Galli, Britanni et Europei omnes. Verum hoc difficile est creditum, difficilior demonstratum, præsertim cum lingua græca et latina admodum præstantes, politæ et artificiales sint, æquæ ac antiquissimæ, ut patet ex Græcorum et Latinorum scriptis, ac proinde videntur ipsæ in confusione linguarum, æquæ ac celticæ, nonnullis Japheti posteris à Deo esse inditæ. At quis, nisi iis, qui Græciam et Latium incolere? It ergo non celticæ, sed græcæ et latinæ sunt locuti. Ilud crediderim, linguam hellicam esse antiquissimam, unamque ex primis in Babel à Deo inditâ. Insuper eam non pauca habere vocabula ab Hebræis derivata, aut iis similia et affinia. Verum eam tantum dialecto ab hebraicâ differre, quis sibi persuadeat, qui utriusque consonantiam et diversitatem inspexerit? tantum enim vel magis hellicæ ab hebræâ, quantum latina à græcâ vel hebræâ distare videtur.

Notat S. August. lib. 18 Civit. 50; Origen., Hieron., Tostat., Cajetan., Oleaster, Genebrardus et alii passim in solo Hebræo ejusque posteris, cum verâ fide, religione et pietate mansisse primævam linguam Hebræam. In cæteris ergo delevit Deus habitum lingue Hebrææ, (ita ut homines viderentur sibi non tam esse obditi, quàm omnem perdidisse lingue Hebrææ memoriam, quasi nunquam de eâ quidquam novissent, vel audissent) et novum promptissimumque novæ lingue habitum, eumque cuique genti alium et proprium, puta alterius et propriæ lingue, inseruit; ita Abolens, Pererius et alii.

Hinc secundò, Epiphan. initio l. contra hæres. et Suidas in voce *Serug*, hos fabros Babel græcè *meropes*, quasi *voce diviso* dictos esse putant; *merops* enim id est quod dividit, *ser* idem est quod vox: unde et à poetis unus gigantum, qui Jovem celo deturbare conatus fuit, vocatus est Merops, à quo insula Cos Meropis appellata putatur, licet Hemeri interp. homines veliti dici *meropes*, eo quòd distinctæ et articulata voce utantur; aut, ut alii, eo quòd quisque uti vultum, ita et vocem ab alio quolibet diversam habeat, quæ duo in homine admiratur Plinius.

Denique hæc conigerunt sub annum 170 à diluvio, uti dixi c. 10, 25. Addit Epiphanius et Silylla ac Abydenus apud Josephum et Euseb. l. 9 de Præpar. Evang., c. ult. Deum turrim hanc procellis et ventis dejecisse, eaque ædificatores ipsos obruisse.

VERS. 10.—HÆ SUNT GENERATIONES SEM. Solius Sem genealogiam pertexit Moses, idque in rectâ tantum Abrahami lineâ, quia cæteri posteri Noe, eo licet renitente, à Deo ad idola deflexerunt; et qui ex Abraham

ortî sunt Judæi (quibus hæc scribit Moses) et Christus.

SEM ERAT CENTUM ANNORUM. Ergo natus est Sem, non anno 500, sed 502 Noe, ut dixi c. 10, v. 21; quia enim hic numerus sinuòs exprimitur, scilicet quòd biennio post diluvium Sem fuerit 110 annorum. qui non exprimitur, c. 5, v. 52. Hinc Moses hic potius, quàm c. 5 præcisè videtur consignare annos Sem.

VERS. 12.—ARPHAXAD GENUIT SALE. Ita habent Hebræa et Chaldaea tam hic quàm 1 Paralip. 1, 18 et 24; verum Septuaginta tam hic quàm ibi interjiciunt Cainan; habent enim, *Arphaxad genuit Cainan, et Cainan genuit Sale*. Septuag. sequitur S. Luc. c. 3 Evang. v. 36. Unde Lipomanus, Melchior Cano, Delrio, et alii putant hunc Cainan omnino interjiciendum esse eoque æquæ ac aliis dandos esse annos 50 antequàm genuit Sale, ac consequenter hos triginta annos chronologia esse inserendos.

Quæres uter hic sit sequendus, an Moses omittens Cainan, an versio Septuag. Cainan inserens. — Resp.: Mosen potius esse sequendum, quasi primum autographum; Moses enim hic tam chronologiam quàm historiam mundi pertexit: ergo non omisit 50 annos, qui juxta 70 sunt dandi Cainan; hoc enim ingens esset vitium et error in chronologia, imò in historia. Itaque non minoris ferè periculi est dicere Mosen hic esse mutilum, quàm dicere Lucam esse superfluum: aut dicere textum S. Scripturæ hic esse detronatum, quàm dicere in Luca esse redundantem in Cainan; pari enim modo corruptum, et falsa efficitur tam historia quàm chronologia. Secundo, quia Hebræa, Chaldaea et Latina Biblia concordant, tam hic, quàm 1 Paralip. 1 omittunt Cainan. Tertio, quia Hebræi, Philo, Josephus et alii veteres omittunt Cainan. Quarto, quia regula est S. August. l. 15 de Civit.: *Si translatio ab originali discessit, ei lingue potius credendum est, unde in aliam per interpretationem facta est translatio*; ergo Mosi Hebræo potius credendum quàm versioni Septuag.

Quintò, quia in versionem 70 irrepisse hic mendam patet primò, quia hic manifestus in eis irrepit error in numeris, adeoque in hoc ipso Cainan: habent enim Cainan fuisse 150 annorum quondò genuit Sale, cum tamen nemo etiam eorum qui Cainan recipiunt, illi ultra 50 annos assignent. Secundò, quia editio 70 à Romana correctæ, et auctoritate Sixti V. Pontif. edita, expungit Cainan 1 Paralip. 1. Recensens enim seriem generationem ab Arphaxad usque ad Abraham, sic cam pertexit: *Arphaxad, Sala, Phaleg, Ragan, Seruch, Nachor, Tharra, Abraham*, ubi planè consentiunt eum editione Latinâ vulgatâ v. 24. Si in 1. Paralip. in serie genealogiarum expungendus est Cainan apud Septuag. juxta correctionem romanam, ergo apud eosdem expungendus est Genes. 11. Eadem enim series generationum utrobique conscribitur. Hæc sanè conjectura valida est, magnamque movet suspicionem in Genesi apud Septuag. intrusum esse Cainan Suspicionem auget, quòd apud Septuag. in Genesi, idem proxima numeri generationis et ætatis dentur Cainan, qui datur Sala, cum in aliis semper evariet. Unde illi Sale soli à Septuag. dati videntur, et ab aliquo intrudente

Cainan, in eo repetit. Sic enim habent: *Et vixit Cainan 150 annos, et genuit Sala. Et vixit Cainan postquam genuit Sala, annos 500, et genuit filios et filias, et mortuus est.* Deinde eosdem numeros, imò eadem omnino verba adscribit Sala, dicendo: *Et vixit Sala 150 annos, et genuit Heber. Et vixit Sala postquam genuit Heber, 50 annos, et genuit filios et filias, et mortuus est.* Tertio, quia Epiphanius, h. e. 55 recitans seriem generationum ab Abraham usque ad Sem, iuxta versionem 70 omittit Cainan; nam ibi non erat Cainan, sed postea irrepit. Idem patet ex S. Hieron. quæst. in Genes., ubi absolutè omittit Cainan; sic enim legit: *Arphaxad genuit Sale: Sale genuit Heber.* Quòd si tum 70 habuissent Cainan, sanè S. Hieron. id non dissimulasset; nam ibi et alibi studiosè notat 70 ubique ab Hebræo dissentire, sicut in iisdem quæst. disertè notat eosdem, quòd in generationibus Adæ, Seth, Enos, etc. Genes 5 ponant 200 annos, ubi Hebræa habent 100. Ergo tempore S. Hieronymi et Epiphanius. necdum in codices saltem correctiores, tum Septuag. tum S. Lucae irrepserat Cainan. Correctiores dico, nam in aliquos alios irrepit; S. Augustinus enim quæst. in Genes. 25, et Euseb. in Chronico interserunt Cainan. Audi et Procopium Gazæum, vetustum et gravem commentatorem. *Hebraica, inquit, veritas habet, Salam genitum esse ab Arphaxad: quæ enim in medio ponuntur, obliquo signata visuntur.*

Ex dictis sequitur omnitendū esse Cainan, ac consequenter à diluvio usque ad ortum Abrahæ fluxisse annos tantum 292, non autem 322, uti numerant ii qui Cainan recipiunt.

Dices: S. Lucæ, c. 3, in fine, confirmat versionem 70, additque Cainan. Resp. nonnulli conformiter non videri dubium, quin in S. Lucæ Cainan additus sit ex versione 70. Cùm ergo rationes adductæ probent Cainan irrepisse in 70, sequitur eundem pariter in Lucam irrepisse, non errore S. Lucæ, quasi is versionem 70 tunc vulgatam, ejusque errorem secutus sit, uti voluit Jansen. et Caj. in Lucæ 3, et Genebrardus in Chron. (sic enim errasset S. Script. ipseque Spiritus S. cujus scriba fuit S. Lucas; quod absit), sed errore librariorum, vel scilicet alienigenæ, qui hebraicè nesciens, cùm in versione Septuag. quæ olim vulgata fuit, in Genesi inveniret additum Cainan, eundem ex 70 in Lucam transtulit, illamque ei inserendum putavit. Sic multorum sententiâ irrepit nomen Abraham pro Jacob Act. 7, v. 16, et nomen Jeremiæ Matth. 27, 9. Sic Matth. 1, 12, passim ex Latinis codicibus excidit una generatio. Hoc enim modo supplendum et legendum est cum S. Epiph. et aliis: *Josias genuit Jecooniam et fratres ejus; Jecoonias autem genuit Jecooniam in transmigratione Babylonis.* Jam enim tantum legitur: *Josias autem genuit Jecooniam et fratres ejus in transmigratione Babylonis.* Si locus Mathæi passim mendosus restitui potest ex libris Regum, cur non et locus Lucæ et Mosis autographo? Locum enim esse mendosum tam ex aliis Script. locis, quam ex aliis exemplaribus ejusdem loci evariantibus, colligi potest. Sic pro *Bethania* uti Joan. 1, 28, legunt omnes codices Latini, Syri, et

plurimi Græci, multi reponendum volunt *Bethabara*. Nam ita legit Chrysost., Origen., Theoph., Enthym. et alii in illum locum commentantes. Vide Franc. Lucam in Notat. ibid. ex quo plura talia colligas. Sic 4 Reg. 8, 26, pro *signi duorum annorum erat Ochosis*, Cajet., Bellarm. et alii legendum putant, *quadraginta duorum annorum erat Ochosis*. Ita enim legitur 2 Paralip. 12, 2. Si in hisce Scripturæ locis viri sapientes censent, quasdam voces irrepisse (estis eæ in omnibus, vel penè omnibus Bibliis, etiam Romanis, habeantur) quòd illæ videantur apertè repugnare aliis ejusdem Scripturæ sententiis; cur id ipsum hic in Cainan contigisse, eandem ob causam opinari non liceat? præsertim cùm ad id major cogat hic ratio, ac penè necessitet. Nam primò, Moses disertè et præcisè hic asserit, Arphaxad anno ætatis suæ 35, genuisse Sale. Hoc autem absolutè falsum est, si ex Septuag. interjiciamus Cainan; nam secundum illos Cainan genitus est ab Arphaxad hoc ipse anno ejus 35. Sale verò post triginta annos genitus est à Cainan, non ab Arphaxad. Durum enim et violentum videtur, ac in chronologia mendacium, quod aliqui respondent, Sale genitum esse anno 35 Arphaxad, non in se, sed in patre suo Cainan. Secundò, Moses exactè et ex professo, isque solus, conscribit hic historiam, genealogiam et chronologiam mundi; ergo incredibile est, quòd ipse omiserit 50 annos vite Cainan. Hi enim triginta anni perturbant et vitiant totam chronologiam. Quis audeat dicere Moysen truncasse, et consequenter vitasse chronologiam triginta annis? Tertio, nulla probabilis ratio dari potest, cur Moses omiserit Cainan. Nam illa quæ à nonnullis afferunt, quòd scilicet voluerit generationes quæ fuerunt ante et post diluvium ad duas decades redigere, ut, sicut decem sunt generationes ab Adam usque ad Noe, sic et decem assignaret à Noe usque ad Abraham; illa, inquam, uti rectè ait Perer. nec ab ipsis probari potest, et levis est ac futilis, nec talis et tanta, uti propter eam debuisset Moyses chronologiam (cujus exacta cognitio tanti erat momenti) perturbare et confundere. Quare si Moyses, aequè ac lib. Paralip. ac Vulgatæ editionis utrobique fidem, integratè et chronologiam tueri volumus, vel inviti, inquit, cogimur asserere, Cainan in Septuag. irrepisse. Satius enim est minoris notæ ac periculi, errorem hunc librariis et descriptoribus, quam ipsis Septuag. utpote viris sapientissimis impingere; uti iisdem librariis errorem, qui hic in numeris apud Septuag. reperitur, impingit S. August. lib. 15 Civit. 15, ubi et asserit vitæ esse hoc mendum, utpote à prisca primisque descriptoribus commissum, quod proinde in omnia deinceps exemplaria 70 et ex his illud in omnia S. Lucae pervasit. Cùm enim versio 70 apud gentes Hebræa ignorantes, toto orbe esset vulgata, et in eâ invenirent Cainan, putarunt, eundem omninò addendum esse in S. Lucæ, præsertim cùm initio non statim S. Lucas habuisset scriptor canoniceus. Unde non mirum quòd id ipsum ex aliis exemplaribus, utpote vitatis, emendari non possit, sed ex originali textu Hebræo, cui astipulatur Latinus et Chaldeus (qui tanti, imò pluris sunt, quam

multa exemplaria evariantia) emendandum sit. In hanc sententiam præ cæteris propendet Perer. Sic et Beda (flicet timide) Ado quoque, Isidorus, Abul., Lucidus, Eugubinus, Genebrard., Jansen. et Cajet. omittunt Cainan. Quin et plerique interpretum Lucæ 3, 36, re ipsa astipulantur. Nam exponentes illud de Sale: *Qui fuit Cainan*, sic exponunt: *qui fuit*, scil. non filius naturalis ut cæteri apud Lucam, sed vel frater, vel filius legalis, vel etiam ille ipse Cainan, quæ expositiones, quia contortæ, et nostram sententiam validant, utpote præter quam nulla alia expositio vel conciliatio solida, quæ viro cordato satisfaciat dari possit; et re ipsa Cainan è serie genealogiæ et chronologiæ auferunt, quod unum hic agimus et deprecimus. Hic enim nobis sufficit, ut Mosis, utpote sacri et divini historici et chronologi, historia et annorum mundi series integra et intacta consistat, cùm præter illam non habeamus aliam; quòd si illam mutilam aut vitiatam fateamur, nullamque, imò tollimus è mundo omnem veram, non tantum mundi primævi, sed et seculorum omnium sequentium, indeque dependentium chronologiam, cùm tamen Deus eam hominibus per Moysen conscribit et tradi voluerit. Annon hæc ratio adèd justa est et gravis, ut cogat fateri irrepisse Cainan? Quæ in re ita Mosis fidem arrogamus, inquit, ut nihil 70 vel S. Lucae et Vulgatæ editioni derogemus; imò ipsos ab injuriâ et mendo librariorum vindicamus, ac suæ paritatis restituimus, et cum Mose suoque prototypo conciliamus, idque per omissionem unius tantum vocabulæ. Dices: Ergo eradendus est Cainan è textu 70 et S. Lucae, uti eradunt eam heretici dicentes eum confectum esse à 70. — Resp. nego consequentiam: tum quia passim exemplaria græca et latina habent Cainan: unde ejus erasio multos offenderet. Quæ de causâ Romani, qui jussu Sixti V et Clementis VIII Vulgatam editionem correxerunt, in præfatione sic aiunt: *In hæc tamen pervulgatâ lectione sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt, quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam, S. Hieron. non semel admonuit, etc.* Quocirca præstat et sufficit viros doctos ea in suis Comment. annotare. Tum quia fortè hic aliud secretum et mysterium divinum latet, quod Deus homines ignorare voluit, uti innuit Beda. Quod ergo hic dicimus de Cainan omittendo, dicimus de chronologia, idque quantum humanis conjecturis et rationibus assequi possumus. Humanitas enim loquimur; re: Tinquam Deo et Ecclesiæ resignamus. Ita Sixtus Senensis lib. 5 Biblioth. annot. 88 et alii. Verum hæc suo loco Lucæ 3, 36, discutienda sunt.

Nota. Uti dixi cap. 5, in genealogiâ Adæ usque ad Noe, numeros in 70 esse corruptos, ita et hic corrupti sunt: hic enim 70 tam Arphaxad, quam aliis adijciunt centum annos, quos non habent Hebræa, nec noster; unde secundum Septuag. ita corruptos, sequitur à diluvio usque ad Abram fluxisse annos 4172, cùm juxta Hebræam veritatem, tantum fluxerint 292.

VERS. 15. — VIXITQUE ARPHAXAD TRECENTIS TRIDUOS ANNIS. Ita legunt Biblia Latina Rom. et Regia, et Sept.

Græca ex editione Carassæ. Verum Hebræa, Chaldaea et 70 tam ex editione Complutensi, quam Regiâ, multa etiam vetera Latina Biblia legunt 405, idque magis consentit cum ætate istius ævi; nam Sale et Hebr. qui fuerunt posteri Arphaxad, vixerunt 400 an. et amplius. Nota. Ante diluvium vixerunt homines 900 annis, mox à diluvio tantum 400, et mox 500, unde patet, vitam priorem tam longavam, scilicet usque ad 900 annos, eis obtigisse, non ex vi nature et causarum naturalium, sed potius ex dono Dei; nec enim statim in primâ aut secundâ generatione, potuit naturaliter vita hominum decrescere ad 500 aut 600 annos.

VERS. 20. — SARUG. Hunc Epiphanius et Suidas faciunt inventorem simulacrorum, formandi scilicet picturas et statuas, in quibus representarentur, colebantur et adorarentur principes alique viri illustres, quasi tunc ceperit idololatria. Verum idololatriæ auctorem fuisse Nemrod, sive Belus superius dixi. Sarug ergo ejus non fuit auctor, sed propagator per suam plasticam et pictoriam. Errat rursùm hic Suidas, dum Sarug collocat in posteris Japheth.

VERS. 26. — VIXITQUE THARE SEPTUAGINTA ANNIS, ET GENUIT ABRAHAM, ET NACHOR, ET ARAN. Nota. Thare primum filium genuit Aran, secundum Nachor, tertium Abram; fuit ergo Abram minimus natus. Id patet; nam Abram habuit uxorem Sarum, quæ erat filia Aran, eaque tantum decennio fuit senior Abramus. Atqui Aran cùm genuit Sarum, ut minimè 20 erat annorum; ergo Aran ut minimè decennio senior erat Abramo. Preponitur autem hic fratribus suis Abram, licet junior, quia ejus unius prospiciam, fidem et gesta deinceps prosequi intendimus Moses.

Sensus ergo est: vixit Thare 70 annos, et jam tum generat Aran et Nachor, ipsum verò Abram præcisè genuit anno 70. Ita Perer. et alii. Perperam ergo alii putant, Abram natum esse anno Thare, non 70, sed 150, quorum rationem vocam c. 12, v. 4. Disertis enim verbis hic dicitur, quòd Thare genuit Abram, cùm 70 esset annorum; atque ita per hunc annum 70 Thare, continuat Moses suam chronologiam, quæ alioqui esset incerta et dubia, imò falsa, si non 70, sed 150 anno Thare natus esset Abram.

Nota secundò: Natus est Abram anno 292 à diluvio, cuiusque Noe vixerit post diluvium 350 annis, hinc sequitur Noe mortuum esse anno Abrahæ 58: Abram ergo vidit omnes suos avos, numero novem, usque ad Noe; scilicet vidit Thare, Nachor, Sarug, Reu, Phaleg, Heber, Sale, Arphaxad, Sem, Noe.

VERS. 29. — MELCHA FILIA ARAN PATRIS MELCHÆ, ET PATRIS JESCHÆ. Jescham hæc esse Sarum Abulensis, et alii plerique opinantur. Sicut enim prior filia Aran, puta Melcha, nupta fuit Nachor patru suo, ita et secunda, puta Jescha sive Sara, nupta fuit Abram patrui suo, uti hoc verum subindicat Moses, et clarus cap. 20, v. 12. Ubi Abram Sarum vocat sororem suam, id est, neptem ex fratre Aran. Sarum enim non fuisse neptem Abram ex fratre Nachor, satis hic indicat Moses, cùm Abram et Nachor simul dixisse uxorem commemorat.

VERS. 31. — TULIT ITAQUE THARE ABRAHAM FILIUM SUUM, scilicet postquam Abram ex Ur Chaldaeorum à Deo evocatus est, c. seq. v. 1. Est ergo hic prolepsis sive anticipatio: voluit enim Moses hic vitam simul et mortem Thare pertexere, antequam ordiretur gesta Abrae, etiam illa quae gessit vivente adhuc Thare patre suo.

Nota. Putant aliqui cum S. Chrysost. Thare in Chaldaea initio coluisse idola, sed ab Abramo filio conversum ea deseruisse et coluisse Deum verum. Id probant ex Judith 5, 8; sed ille locus potius contrarium asserit, scilicet noluisse eum colere idola patria; idem rursum probant ex Josue 24, 2.

Ex quo loco etiam Abramum initio, antequam à Deo vocaretur, idola coluisse colligunt Philo l. de Abraham, Hebraei, Genebr. et And. Masius scribens in Josue 24. Verum verus est primò, Abram nunquam idola coluisse. Primò, quia Josue 24, v. 2, non Abram, sed Thare tantum et Nachor dicuntur servisse diis alienis. Secundò, quia Abram quasi pater credentium, et exemplar fidei in Scripturâ nobis proponitur: ergo nunquam fuit infidelis. Tertio, quia ita sentiant Joseph, Suidas, Pererius, Delrio et alii plurimi.

Secundò, verus est Thare in Chaldaea non coluisse idola, sed cum Abramo coluisse Deum verum, ideòque cum à Chaldaeis divexaretur, monente et evocante eum Abramo, inde secessisse et migrasse in Chanaan: verum cum Thare jam fatigatione et senio conficeretur, ipsis substituit in itinere, puta in Mesopotamiae fessu Haran, quae vulgò Carrhae dicitur, ubi M. Crassus romanus dux à Parthis cladem accepit.

Tertio, verus est Thare in Mesopotamiâ, puta in Haran, lapsus esse in idololatriam, vel ex consuetudine istius gentis, vel adventu filii Nachor idololatri ex Chaldaea (Nachor enim ex Chaldaea in Aaran commigrasse, patet Gen. 24, 10, Gen. 28, v. 2, 5, 6, 10, eumque ibi cum domo sua coluisse idola, patet Gen. 31, 30), vel discussu et absentia ipsius Abrae, cum is ex Haran perrexisset in Chanaan. Id patet Josue 24, 2, ubi sic dicitur: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor, servieruntque diis alienis. Trans fluvium, scilicet Euphratem in Mesopotamiâ, non autem in Chaldaea: sic enim se explicat Josue vers. seq. et v. 14 et 15. Ita ex S. Augustino, et Tostato Pererius.*

ET EDIXIT EOS DE UR CHALDAEORUM. Ur fuit urbs Chaldaea, quae alio nomine dicta est Camirine, teste Eupolemo apud Eus. lib. 9 Praep. Ev. 4. Porrò Chaldaei dicuntur ab Hebraeo, et Chal. *Chasdim*, mutata littera s. in l. sicut ex ὁμοεισ; factum est Ulysses. *Chasdim* verò plura in sing. habet *Chasud*, quod Hebraei nonnulli decuratum putant ad Arphaxad; tres enim litterae ultimae in utroque nomine sunt eadem; nam vocales non estimant Hebraei. Quare ipsi censent, Chaldaeos oriundos et nominatos esse ab Arphaxad filio Sem. Alii à Casel filio Nachor, fratris Abrae, ortos et dictos putant Chaldaeos, de quo c. 22, 21. Sed hic posterior fuit.

Nota. Ur, hic significat ignem, unde videtur haec urbs

dicta Ur, quòd in ea servaretur et coleretur sacer ignis. Sic enim Persae ignem sacrum quasi numen colebant in locis, quae inde vocantur Procopius histor. in Persicis. Pari modo ignem coluisse Chaldaeos tradit S. Hieron. Sic ergo Ur dicta videtur à cultu ignis, sicuti Heliopolis dicta est à cultu solis. Fortè Ur eadem est cum Uram, quam Plinius lib. 7, c. 24, ponit juxta Euphratem.

Hinc etiam noster interp. l. 2 Esdrae, c. 9, 7, pro Ur, quod est in Hebraeo, vertit ignem; vertit, enim, Deus qui elegisti Abraham, et eduxisti eum de igne, (hebr. de Ur Chaldaeorum. Ubi advertit, Esdras omnino videri alludere ad hunc locum Gen., q. d.: Deus qui eduxisti Abraham de Chaldaeorum urbe, quae hebr. vocatur Ur, id est, ignis; sic enim et alibi noster interpres, propria urbium, hominum et locorum nomina subinde interpretatur per eorum significata, ut patet Judic. 15, 19, Gen. 26, 20 et 22, et alibi. Unde secundò ignis apud Esdram accipi potest appellative, ut significet tribulationem: hujus enim in Script. symbolum est ignis, ut patet Psal. 16, 5, Psal. 65, 12. Multas enim afflictiones Abramum passum esse à Chaldaeis, eò quòd nollet adorare ignem, docet Joseph. S. August. l. 16 Civit. 13 et alii.

Potest secundò, ignis apud Esdram capi proprie. Nam Hebraeorum traditio est, Abramum hae eadem de causâ propriè in ignem, ut habet Esdras, à Chaldaeis injectum, sed ex eo per miraculum à Deo liberatum esse; quam traditionem licet initio sigillet, postea tamen approbat S. Hieron., et, ut videtur, Ecclesia, quae pro moribundis orat, ut Deus eos liberet ab angustiis mortis, et ab igne gehennae, sicut Abram liberavit de Ur, puta de igne, Chaldaeorum.

Idem indicat S. Scriptura, cum hanc eductionem et liberationem Abrae de Ur Chaldaeorum, quasi rem magnam et admirabilem celebrat, nec mirum est ejus non meminisse Josephum, Philonem et Paulum Hebr. 11, uti objicit Pererius, quia illi tantum ferè referunt ea, quae habentur in S. Scripturâ, uti saepe de se proficitur Josephus. Moses etiam idipsum tacuit, quia compendio omnia, tam Adami quam aliorum usque ad Abrami vocationem gesta prestringit. Quid enim habes in Genesi de actis Adae, Seth, Enos, Mathusalem, et aliorum ante diluvium per 1656 annos? Ubi tamen advertit, in hac traditione circumstantias quasdam fabulosas ab Hebraeis admisseri, ut quòd Aran frater Abrae in eundem ignem injectus, ab eo consumptus sit, eò quòd non tanta esset fidei quantè erat Abram; nam Aran naturali morte esse defunctum satis indicat Moses v. 28. Rursum, quòd Nemrod, urgente Thare patre Abrae, utpote idololatrâ, Abramum conjecerit in ignem. Nam Nemrod, sive Belus ante Abram mortuus est; natus est enim Abram anno 43 Nini, qui Belo patri defuncto successit, uti dixi c. 10.

Potest tertio verti, de Ur, id est, de doctrinâ (erroris et idololatriæ) Chaldaeorum. Sic enim noster Urim vertit doctrinam, Exodi 28, 34, et alibi.

Ex hoc cap. colligitur chronologia mundi, scilicet

cet à fine diluvii usque ad Abram fluxisse annos 292: id patet, nam biennio post diluvium Sem genuit Arphaxad,

Arphaxad genuit	Sale cum esset	55 ann.
Sale	Heber	30
Heber	Phaleg	34
Phaleg	Reu	30

CAPUT XII.

1. Dixit autem Dominus ab Abram: Egredere de terra tuâ, et de cognatione tuâ, et de domo patris tui, et veni in terram quam monstrabo tibi.

2. Faciamque te in gentem magnam, et benedicam tibi, et magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

3. Benedicam benedictibus tibi, et maledicam maledictibus tibi, atque in te benedicentur universae cognationes terrae.

4. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, et ivit cum eo Loth: septuaginta quinque annorum erat Abram cum egredere de Haran.

5. Tulitque Sarai uxorem suam, et Loth filium fratris sui, universamque substantiam quam possederat, et animas quas fecerat in Haran; et egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cùmque venissent in eam, 6. Pertransiit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem: Chanaanens autem tunc erat in terrâ.

7. Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui edificavit ibi altare Domino, qui apparerat ei.

8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidentibus habens Bethel, et ab oriente Hai; edificavit quoque ibi altare Domino, et invocavit nomen ejus.

9. Perrexitque Abram vadens, et ultra progrediens ad meridiem.

10. Facta est autem fames in terrâ; descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: praevaleret enim fames in terrâ.

11. Cùmque propè esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suae: Novi quòd pulchra sis mulier;

12. Et quòd cùm viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est; et interficient me, et te reservabunt.

13. Die ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, et vivat anima mea ob gratiam tuam.

14. Cùm itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quòd esset pulchra nimis.

15. Et nuntiaverunt principes Pharaonis, et laudarunt eam apud illum; et sublata est mulier in domum Pharaonis.

16. Abram verò benè usi sunt propter illam; fueruntque ei oves et boves, et asini, et servi et famulae, et asinae et camelæ.

17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum ejus, propter Sarai uxorem Abram.

18. Vocavitque Pharaeo Abram, et dixit ei: Quid-

Reu genuit	Sarug cum esset	32 ann.
Sarug	Nachor	50
Nachor	Thare	29
Thare	Abram	70

Summa: 290 anni.

Ergo Abram natus est anno 292 à diluvio, qui fuit annus mundi 1949.

CHAPITRE XII.

1. Le Seigneur dit ensuite à Abram: Sortez de Haran, que votre famille regarde déjà comme son pays; éloignez-vous de votre parenté, et de la maison de votre père; et venez en la terre que je vous montrerai.

2. Je ferai sortir de vous un grand peuple, je vous bénirai, je rendrai votre nom célèbre, et vous serez béni.

3. Je bénirai ceux qui vous béniront, et je maudirai ceux qui vous maudiront; et tous les peuples de la terre seront bénis en celui qui naitra de vous.

4. Abram sortit donc de Haran, comme le Seigneur le lui avait commandé, et Loth alla avec lui. Abram avait soixante-quinze ans, lorsqu'il sortit d'Haran.

5. Il prit avec lui Sarai sa femme et Loth, fils de son frère, tout le bien qu'ils possédaient, avec toutes les personnes dont ils avaient augmenté leur famille à Haran; et ils en sortirent pour aller dans le pays de Chanaan. Lorsqu'ils y furent arrivés,

6. Abram passa au travers du pays jusqu'à un lieu appelé Sichem, et jusqu'à la vallée de Mambré, qui fut depuis surnommée l'illustre, à cause des favours singuliers que Dieu y fit à Abram. Les Chanaanéens occupaient alors ce pays-là.

7. Or le Seigneur apparut à Abram et lui dit: Je donnerai ce pays à votre postérité. Abram dressa en ce lieu-là un autel au Seigneur qui lui était apparu.

8. Etout passé de la vers une montagne qui est à l'orient de la ville de Bethel, qui fut depuis appelée Bethel, il y tendit sa tente, ayant Bethel à l'occident, et Hai à l'orient. Il dressa encore en ce lieu-là un autel au Seigneur, et il invoqua son nom.

9. Abram alla encore plus loin, marchant toujours et s'avancant vers le midi.

10. Mais la famine étant survenue en ce pays-là, Abram descendit en Égypte, pour y passer quelque temps, parce que la famine était grande dans le pays qu'il quittait.

11. Lorsqu'il était prêt d'entrer en Égypte, il dit à Sarai sa femme: Je sais que vous êtes aussi belle que si vous étiez dans la fleur de votre jeunesse, quoique vous ayez soixante-cinq ans.

12. Et que quand les Égyptiens vous auront vue, ils diront: C'est la femme de cet homme-là. Et ils me tueront, et vous réserveront pour eux.

13. Dites donc, je vous supplie, que vous êtes ma sœur, comme vous le pouvez dire sans mentir, afin que ces gens-ci me traitent favorablement à cause de vous, et qu'ils me conservent la vie en votre considération, pendant que Dieu aura soin, comme je l'espère, de conserver votre chasteté.

14. Abram étant ensuite entré en Égypte, les Égyptiens virent que cette femme était très-belle.

15. Et les premières personnes du pays en ayant donné avis à Pharaon, et l'ayant fort loué devant lui, elle lui fut enlevée et menée au palais du roi, pour être mise au nombre de ses femmes.

16. Ils en usèrent bien à l'égard d'Abram, à cause d'elle; et il reçut d'eux des brebis, des bœufs, des ânes, des serviteurs, des servantes, des ânesses et des chamæaux.

17. Mais le Seigneur frappa de très-grandes plaies Pharaon et sa maison, lui faisant connaître que c'était à cause de Sarai, femme d'Abram, qu'il avait enlevée.

18. Et Pharaon ayant fait venir Abram, lui dit: Pourquoi avez-vous agi avec moi de cette sorte?

nam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quod uxor tua esset?

19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conijux tua, accipe eam, et uade.

20. Præcepitque Pharaon super Abram viris; et dederunt eum, et uxorem illius, et omnia quæ habebat.

COMMENTARIUM.

VERS. 1.—DIXIT AUTEM DOMINUS AD ABRAHAM, EGREDERE. Putant aliqui Abramum his vocatum fuisse à Deo. Primò, in Ur Chaldæorum Actor. 7, 2. Secundò, hic ex Haran, ut pergeret in Chanaan. Ita Diodorus et S. Hieron. Verùm verius est, tantùm semel à Deo vocatum esse Abram, eandemque esse vocationem, de qua agit Moses hic, cum eà, de qua agit S. Stephanus Actor. 7. Eadem enim hic et ibi sunt verba; citat enim Stephanus hæc verba Moysi, ac pròinde una et eadem utrobique est vocatio. Unde patet, hanc Abram vocationem contigisse non in Haran, sed in Ur Chaldæorum. Id enim asserit S. Stephanus Actor. 7. Ita S. Augustinus lib. 16 de Civit. c. 15. Est ergo hic prolepsis: *Dixit autem*, id est, dixerat autem, scilicet jam ante cùm versaretur Abram in Ur Chaldæorum. Hæc enim una Dei vocatio movit Abram, ut exiret primò ex Ur in Haran cum patre; deinde, ut ibi relicto patre ex Haran pergeret in Chanaan, quò cum evocaret Deus. Non enim quievit Abram, donec primæ Dei vocationi plene satisfaceret.

Dices: S. Stephanus asserit Abramum vocatum in Mesopotamiâ: ergo non fuit vocatus Abram ex Ur, quæ est in Chaldæâ. Respond.: Sanctus Stephanus Mesopotamiâ latè sumit, ut complectatur etiam vicinam Chaldæam. Id ita esse, patet ex eo quod subdit Stephanus: *Tunc exiit de terrâ Chaldæorum, et habitavit in Charan.* Sic Babilylonem, quæ est metropolis Chaldæorum, Mesopotamiæ annumerat Plinius l. 6, c. 26.

DOMINUS. Idem et clariùs asserit S. Stephanus Act. 7. Fabulatur ego Lutherus, dum Abramum non à Deo, sed à Sem vocatum esse asserit: fingit enim ipse Deum id indicasse Semo, Semum id retulisse Abramo.

Nota. Deum Abre aliisque prophetis tripliciter esse locutum: scilicet, aliquandò per somnia à se inmissa, ut patet c. 15, v. 12, aliquandò per angelos voce scensibili; aliquandò per locutionem spiritualem in mente et phantasiâ, quò modo Abre hic locutus est Deus.

EGREDERE. Hebraicè *lech lecha, vade tibi*, q. d.: Absolutè vade, et egredere è patriâ et domo tuâ, ampliùs eò non rediurus.

Nota. Inter omnes homines hic primò à Deo vocatur Abram, ex patriâ suâ Chaldæâ in Chanaan; datur ergo hic typus vocationis omnium, qui vocantur ad fidem, gratiam, iustitiam, perfectionem et salutem. Hinc et Abram dicitur pater credentium et iustorum; idque primò, quia primus Abram effi mediâ infidelitate Chaldæorum hic evocatur à Deo, ejusque fides et obedientia tam fuit illustris, ut illicò Deum vocantem secutus

sit, licet nesciret quò vocaretur, et quò iret Heb. 11, 8.

Secundò, quia primus Abram promissionem accepit de Christo ex se nascituro, per cuius fidem et gratiam omnes gentes erant benedicendæ. Tertiò, quia Abram pater fuit Hebræorum, penes quos ferè solos fuit fides et Ecclesia Dei usque ad Christum.

Tropol. de triplici vocatione et renuntiatione vide Cassian. initio collationis 5.

DE TERRA TUA, de Ur Chaldæorum, quæ est patria tua.

DE COGNATIONE TUA: relinque cognatos tuos Chaldæos idololatras.

DE DOMO TUA, quin et domum tuam desere; domum, inquam, tam splendidam, tam caram, nec solum domum ipsam, sed et incolas domus, puta fratrem, patrem, et uxorem, si manere velint, relinque, et egredere solus, ut Deum vocantem sequaris. Ecce quot verbis, tot stimulis pungit, exercet et acuit Deus fidem et obedientiam Abre. Ita videtur Abram reliquisse reipsâ domi in Chaldæâ Nachor fratrem idololatram, cum suâ familiâ; nam c. præc. v. 51, solus Thare, Loth et Sara, cum Abram egressi dicuntur ex Chaldæâ in Haran; postea tamen Nachor, vel desiderio patris et fratris, vel quia ob discessum patris et fratris vexabatur à Chaldæis, ex Chaldæâ suos in Haran secutus est, ut patet c. 24, 10.

Nota hic in Abrahamo, conditiones et dotes perfecta obedientiæ. Prima est, obedire promptè et libenter: promptè enim ipse Deum vocantem secutus est. Ita Cassian. Jubeat monachis, *ut præter abbatis mandatum, nulla penitus voluntas vivat in eis.* Secunda est, obedire simpliciter, quod fit cùm iudicium nostrum submitimus iudicio superioris. *Exiit enim Abram nesciens quò iret.* Ita Petrus et Andreas vocati à Christo, non hesitantes, non solliciti unde viverent, non considerantes quomodò rudes homines prædicatores fieri possent, sine morâ secuti sunt Christum. *Crede tibi salutare, quiddam monasterii præpositus præcepit, nec de majorum sententiâ iudices, cuius officii est obedire, et implere quæ justa sunt, dicente Moysi: Aude, ISRAEL, ET TACE,* inquit sanct. Hieron. ad Rusticum, et S. Gregor. *Nescit iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.* Tertia est, obedire hilariter. Abram enim cum Sarâ, Loth, rebusque omnibus latus exiit ex Ur. Sanct. Basilium in Constit. monast. *de Apostoli, inquit, submissâ mentis cervicè obedientiâ iugum subierunt, alteri que animo in fora, in contumeliam, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias necesse processerunt. Hinc obedientiam præstet monachus.* Quarta est, obedire lux-

militer. Deo enim ardua præcipienti humiliter subiecit se Abram, dicens cum Psalme: *Nonne Deo subjecta erit anima mea? et, ut iumentum factus sum apud te.* Hinc non obtendit senium patris, non viæ molestias, etc. Quinta est, obedire viriliter, constanter. Abram enim viriliter superavit omnes difficultates cognatum et itinerum, ut obediret Deo. Rectè Sanct. August. l. 1 Silioloq. 15: *Constanter, inquit, Deo crede, eique totum committe, quantum potes; ita enim ipse te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias:* Sexta est, obedire indifferenter. Indifferens enim erat Abram, ut iret quòcumque eum vocaret Deus: Deo enim se totum resignabat. *Nihil gratius Deo possumus offerre, quàm ut dicimus ei cum Isaia: Posside nos, ait sanct. August. in Psal. 151. Scribit Cassian. l. 4, c. 10, Tabbennesiotes monachos sic universa complere, quòcumque à superiore fuerint præcepta, tanquam si à Deo cælitus sint edita.* Septima est, obedire perseveranter. Abram enim totâ vitâ peregrinatus est in Chanaan, ut obediret Deo. Ita Christus obedivit usque ad mortem, et mortem crucis. Denique Climachus gradu 4: *Obedientia, inquit, est perfecta abnegatio propriæ animæ et corporis mors voluntaria, vita sine sollicitudine, navigatio sine damno, sepultura voluntatis, est iter facere dormiendo, suo onere altis imposito.*

QUAM MONSTRO TIBI. Deus ergo vocans Abram non revelavit ipsi quònam esset eundem; sed id postea ei revelavit. Unde Apostolus fidem et obedientiam Abram laudat dicens ad Hebr. 11: *Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire quem accepturus erat in hereditatem; et exiit nesciens quò iret.* Nam, ut rectè ait Delrio, solet vaga et incerta peregrinatio liberorum procreationi et educationi officere, opes deterere, famam maculare, amicitias solvere.

Verùm Deus hic Abram peregrinaturò, omnia contraria in præmium obedientiæ pollicetur, quæ reipsâ eidem præstitit. Hinc Abre obedientiam, pariter et remunerationem Judæis et nobis imitandam proponit Isaia c. 51, 2: *Attendite, inquit, ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quam peperit vos, quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum.*

Nota. Deus vocans Abramum revelavit simul ei eundem esse in Chanaan, ut patet v. 5, et c. 11, v. 51, sed non revelavit illi, in quam partem Chanaan eum commigrare vellet; regio enim Chanaan ampla erat, et in multos reges partita. Quod hic dicitur, sic intellige: *Veni in terram* (id est, in illam terram Chanaan partem) *quam monstrabo tibi, hebr. arecha, id est, quam faciam te videre, quam oculis tuis ostendam.*

Contrarium sentit Perer. scilicet quòd Deus è patriâ vocans Abramum, ad exercendam ejus fidem et obedientiam, nec locum, nec nomen Chanaan, quò volebat eum pergere, illi indicavit. Verùm prior sententia, quæ est Abulens. et Oleastri hic, ac Ribere in Hebr. 11, 8, verior videtur, uti ibi fusiùs ostendi. Porrò evocavit, inquit sanct. Chrysost., *Deus Abraham*

ex Chaldæâ, quia volebat eum doctorem fieri omnibus Palestinis et Ægyptiis.

Moraliter discant hic cum Abramò fideles illud Nazianzeni Orat. 28: *« Nobis omnis terra, et nulla è terra patria est. »* Nulla terra erit nobis patria, cùm celum patriam nostram esse putabimus, et mundum exilium, nam, ut ait Hugo Victor. l. 3. Didasc. erul. c. 20: *Magnum virtutis principium est, ut discat paulatim exercitatus animus visibilia hæc et transitoria primim commutare, ut possit etiam postmodum derelinquere. Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est; fortis autem, cui omne solam patria est: perfectus verò, cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorem facit, iste sparsit, hic extirpat. Κοσμοπόλιτης sumus, id est, non uni urbi, sed toti orbi nati. Talis Adamus fuit naturâ, ait Philo; sed electione Socrates et Diogenes, quorum uterque cùm interrogaretur: *cujas es? mundanus,* inquit, *quia totius mundi civis sum et incolæ.* Talem se esse gloriatur Seneca l. de Tranquill. c. 3: *Magno, ait, animo nos, non minus urbis menibus clausimus, sed in totius orbis commercium emissimus; patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latèntem virtutis campum dare.* Pontius in vitâ S. Cypriani: *Christiano, inquit, totus hic mundus una domus est.* Pròinde S. Basilus Prefecto Valentis imp. exilium militanti, *exilium se non cognoscere respondit, qui nullo loco circumscriptus esset, teste Alexand. Orat. 20.* Alexand. er Magnus, sed Plutarcho, Persis devictis Macedonibus matrimonio junxit Persides puellas; cum universis mandavisset, ut mundum pro patriâ, castra pro arce, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis agnoscerent. Quid jam faciat Christianus? Audi S. August. in Sentent. sent. 17: *Omnis, inquit, qui ad supernam pertinet civitatem, peregrinus est mundi; et cùm temporali utitur vitâ, in patriâ vivit alienâ, ubi inter multa illicebrosa, et multa fallacia Deum nescit et amare paucorum est.* S. Cyprianus, cùm Proconsul ob fidem Christi maretur ei exilium, dixit: *Exul non erit, qui Deum in mente habebit, quia Domini est terra et plentitudo ejus.**

FIACIAMQUE TE IN GENTEM MAGNAM. Nota Cajet. Abre, si Deo vocanti obediât, septem à Deo benedictiones, sive ingentia bona promitti. Primum est, principatus, seu paternitas magnæ gentis, cùm ait: *Faciãque te in gentem magnam, ut scilicet ex te gens Judæorum maxima nascatur, quæ numero æquetur stellis cæli, et arenæ maris; quæque magna sit honore et dignitate, tum legis et veræ fidei, tum victoriarum aliarumque rerum, Deut. 4, v. 7.* Secundum est, frugum opumque copia, cùm ait: *Et benedicam tibi, q. d.: Homines benè et malè præcantur, sed verbo tenus; nam ultra quod faciunt non habent: ego verò quiddam volo. quiddam improcor, præsto; reipsâ ergo benedicam et benefaciam tibi.* Tertium est, nominis celebritas et gloria, cùm ait: *Et magnificabo nomen tuum, ut scilicet cunctis seculis, et toto orbe celebre sit nomen tuum, ut Abre nomine fide et prosperâ nobilitate Judæi, Saraceni, Christiani. Quartum est, complexio omnium benedictionum et honorum cùm ait: *Eriquis**

benedictus. Hebraice est *tehi beracha, sis benedictio*; id est, ita plenè per omnia sis benedictus, ut videaris esse ipsa benedictio, utque homines cupiam benedicere volentes, te in exemplum statuam, dicentes: Fiat tibi, benedicat tibi Deus, sicuti fecit et benedixit Abram quemadmodum Caesari in inauguratione olim acclamabant: Sit Augusto felicius, sit Trajano melior. Quintum est, quod non solum tibi, ó Abram, sed et amicis tuis beneficam. *Benedicam*, inquit, *Benedicentibus tibi*, v. 5. Sextum est, quod tibi maleficis pariter malefaciam. *Maledicam*, inquit, *maledicentibus tibi*, q. d.: Inimicos tuos tuasque injurias ulciscar et puniam; fidem enim mihi futuri sunt amici aut inimici, qui tibi; quod proprium est perfecti federis et plenae amicitiae. Hæc alludit Balaam Numer. 24, 9: *Qui, inquit, benedixerit tibi, erit et ipse benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur.*

Moraliter, nota hæc, quam utile sit habere viros sanctos sibi amicos, hisque esse benevolam et beneficam; et contra, quam malum sit iis detrahere, eos odisse, affligere et persequi; qui enim eos habet hostes, Deum sentit hostem et vindicem.

Hæc sex ferè corporalia sunt et temporalia; septimum verò ac precipuum spirituale est ac æternum, de quo subdit dicens:

VERS. 5. — IS TE BENEDICENTUR OMNES COGNATIONES TERRÆ. *In te*, id est, in semine tuo, uti exponitur Gen. 22, 17, hoc est in Christo, qui ex Abramo natus est, uti exponit S. Paulus ad Gal. 5, 16, et S. Petrus Act. 5, 26. Quod enim Christo filio præstitum est, hoc et Abrahæ parenti Christo præstitum est, juxta can. 45; per hoc enim spirituale et sanctum semen, puta per Christum, Abram factus est pater omnium credentium, q. d.: Per Christum filium tuum, ó Abram, perque fidem in Christum, omnes gentes benedicentur, id est, justificabuntur, sicutque amici et filii Dei, ac consequenter hæredes regni Dei, et aliquandò audient: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratam vobis regnum à constitutione mundi.* Est ergo quod gaudes, ó Abram, quia per Christum filium tuum pater eris omnium fidelium, justorum et electorum. Ita interpretis hic, et S. Hieron., Anselm. et alii in Epist. ad Galat. 5, 16.

Posset secundò etiam sic accipi in *te*, id est, instar tui, ad tui imitationem et exemplum, q. d.: Sicut tu per fidem, ita et omnes gentes per fidem, non per opera legis benedicentur, id est, justificabuntur. Hebraei enim litteram *bet*, id est, in, scèpe sumunt, pro affini litteræ servili *cap*, que est nota similitudinis et comparationis. Ita S. Chrysost., S. August., Theophyl., Oecumen. in Epist. ad Galatas c. 5, 16. Adverte hic, sicut dicere Dei, utpote efficacem, idem est quod facere (*ipse enim dixit et facta sunt*), ita benedicere Dei, idem est quod benefacere, et bona largiri; que quò majora sunt, eò major est benedictio. Jam quia maximum bonum est gratia et justitia, per quam finis divinæ consortes naturæ, amici, filii hæredesque Dei et gloriæ cœlestis; hinc benedictio absolutè posita, eandem gratiam et justitiam per

antonosiam significat; hæc ergo Abram benedictio propriè significat hanc justificationem, tam Abram quam posterorum ejus, hoc est fidelium, qui per Christum renati Abram fidem imitantur. Unde rectè explicant Patres, benedicentur, id est, inquit, justificabuntur, benedictionem, id est, justitiam assequentur. Nec enim majus bonum benedictionem Deus nobis donare potest, quam suam justitiam, amicitiam, filiationem.

BENEDICENTUR. Malè vertit Pagninus, in *te benedici cent omnes gentes*, dicendo scilicet: Utinam sim tam felix et benedictus, quam fuit Abram Hebræum enim *nibrechu*, purè passivum est, scilicet conjugationis passivæ niphali, proprièque significat *benedicentur*; non ergo significat actionem reflexam agentis in seipsum, scilicet *benedici cent se*. Hoc enim significat ultimam conjugationem hitpaël; sicque, dicendum fuisse *hibrechu*. Rursùm versionem ac sensum Pagnini planè excludit versio ac sensus S. Pauli Gal. 5, 8. Paulus enim citans hunc locum ait: *Benedicentur in te omnes gentes*, puta *omnes cognationes* (familie, tribus, gentes) terræ. Sicut enim omnes omnino gentes in Adamo maledictæ et mortuæ sunt; ita et in Christo omnes benedictæ et justificatæ sunt.

VERS. 4. — SEPTUAGINTA QUINQUE ANNORUM ERAT ABRAHAM, CUM EGREDERETUR DE HARAN. Abram natus est anno Thare 70, rursùm Abram egressus est de Haran annos natus 75; ergo egressus est de Haran, cum pater ejus Thare ageret annum ætatis 145; post hunc Abram egressus de Haran, vixit Thare adhuc 60 annis; mortuus est enim annum agens 205.

Dices, quomodò ergo S. Stephanus Actor. 7 assertit Abram exisse de Haran, post mortem Thare? Aliqui ex hoc loco Actor. 7, putant Thare genuisse Abramum anno ætatis suæ non 70, sed 150: his enim 150 annis, si addas hos 75 Abrahæ cum egressus est de Haran, habebis annos 205 vitæ Thare, ita ut illo anno 205, statim à morte patris Abram exivert de Haran. Ita Lyræus et Tornielius. Sed hoc repugnat capiti præced. v. 26, ubi disertè dicitur, quòd Thare anno ætatis suæ, non 150, sed 70, genuerit Abramum. Quòd si his 70 annis addendos dicas alios 60, ut fant 130, incertam facies, et turbabis totam S. Scripture chronologiam, quam Moses in Genesi tam ordinatè pertexit.

Respond. ergo, Abram ex Ur Chaldaeorum cum Thare migrans in Haran, parvo tempore, et fortè tantùm aliquot mensibus, ibi cum patre substitit, ac mox valedicens patri, ex Haran cum Lot perrexit in Chanaan: eò enim primitivè vocatus fuerat à Deo, qui vocationi Abram gestabat et festinabat obedire: unde et Moses hic nullius rei ab Abramo in Haran geste meminit; sed tantùm capite præced. v. 51, significat eò, ex Ur, Abramum migrasse, et mox hoc cap. subjicit, eum ex Haran progressum esse in Chanaan, quò à Deo evocabatur. Abram ergo in Chanaan, vivente adhuc patre, peregrinatus est ad sexaginta annos, quibus exactis moritur ejus pater Thare in Haran; redit ergo Abram in Haran, ut patrem sepeliat,

et hereditatem cernat, quo facto rursùm revertitur in Chanaan.

Hic iteratò Abramum vocat Deus, promittitque ejus semini terram Chanaan, cap. 15, v. 15, quò de causâ Abram constituit in Chanaan sedem figere.

De secundâ Abrahæ ex Haran in Chanaan profectioe loquitur S. Stephanus Act. 7, cum ait: *Et inde (ex Haran) postquam mortuus est pater ejus (Thare) transtulit illum (Abramum) in terram istam (Chanaan), ubi pro transtulit græcè est *περὶερχεται*, id est, firmiter collocavit, sedem fixit. Post mortem enim Thare Abram secundò veniens in Chanaan, ibi firmiter et jugiter mansit.*

Hæc est ergo epitome annorum Thare: Thare anno 70 genuit Abram; anno verò 145 Thare patris sui, Abram ex Haran profectus est in Chanaan; anno postea 60, moritur Thare, scilicet anno ætatis suæ 205, qui fuit Abrahæ 155.

Nota. Ab hoc anno 75 vitæ Abrahæ, quo ipse à Deo ex Urevocatus est in Chanaan, usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, ad eandem Chanaanem possidendam, fluxerunt anni 450, ut patet Galat. 5, 17, Exodi 12, 40.

VERS. 5. — LOTH FILIUM FRATRIS SUI, FILIUM ARAN; erat ergo Loth frater Saræ uxoris Abrahæ.

ANIMAS QVAS FECERANT IN HARAN. Facere, Hebraice idem est quòd parere, acquirere, sive per emptionem, sive per generationem, sive alio quovis modo. Rursùm per animas synecdochicè intelligit homines; nam pecora intellexit per substantiam, quæ præcessit. Substantia enim et opes priscorum ferè erant pecora, q. d.: Abram et Loth duxerunt secum tam pecora quam homines, sive quos quasi servos emerant, sive quos servi et ancille eorum genuerant; hos enim quasi servos sibi natos acquirerebant, et faciebant esse suos Lot et Abram: nam nec Abram, nec Loth ullam adhuc genuerant prolem. Secundò, Hebraici, facere animas spiritualiter explicant; quia, inquit, Abram viros plurimos, et Saræ mulieres multas ab infidelitate ad Dei cultum traduxerunt; itaque eas quasi Deo fecerunt et procederunt: unde Chaldaeus vertit, *et animas quas legi subjecerunt in Haran.*

Ex dictis facile patet, fabulosum esse quòd narrat Nicolaus Damascenus apud Josephum et Eusebium; scilicet Abramum, antequàm veniret in Chanaan vixisse Damasci, ibique quasi regem regnasse et quòd narat Justinus lib. 56, cum ait: *Judeis origo est Damascena. Nomen viri à rege Daniaco; post Damascus, Abraham, Moses, Israel reges fuerunt: in quibus verbis tot penè sunt errores, quot verba.*

VERS. 6. — USQUE AD CONVALLIEM ILLUSTREM, ad *elon more*. *Elon* quercum et quercetum, indeque convallium, sive plantium querebus consitam significat: unde Chaldaeus vertit, *usque ad quercetum More*; 70, usque ad quercum excelsum. Clarè veritas, usque ad quercum vel quercetum More, id est, illustre. Est enim hoc nomen proprium loci ita dicti, quòd illustris esset, tum querebus, tum agrorum amoenitate; irrigabatur enim medio Jordane, sicut paradisus Domini, et sicut

Ægyptus. Est hoc quercetum sive hæc convallis sita juxta Sichem; seseque porrigit à Bersan, sive à mari Galilæa juxta descensum Jordanis, usque ad mare Mortuum, imò compectelatur ipsum mare Mortuum, sive locum ejus, ante subversionem Sodome. Ita Borchardus. Falluntur ergo, qui convalliem More volunt esse convalliem Mambre, que ita dicta est à possessore Mambre, de qua c. 14, v. ult.: nam Mambre est juxta Hebron; More verò est juxta Sichem. Vide de hæc convalle More Andream Masium in c. 8 Josue 50, ubi vult dici convalliem More à rad. *raa*, id est, vidit, quod in highil significat ostendit, videre fecit, quasi convallis More sit idem quòd convallis ostendentis, vel monstratoris, scilicet Dei, eò quòd Deus Abrahæ in hæc valle ostendit et monstravit terram Chanaan (sicuti ei promiserat v. 1), ut patet c. 15, 14. Quia enim hæc vallis valde pulchra, illustris (uti veritè notat interpres), et spectabilis est; hinc in eâ quaquaversim Chanaanæ amplitudinem et polchritudinem Abrahæ ostendit Deus. Sic ab eadem radice *raa* vocatur mons Moria, quasi mons visionis Dei, uti patet ibi c. 22, 2.

VERS. 7. — CHANANEUS AUTEM TUNC ERAT IN TERRA. Chananeus tunc incolebant convalliem illustrem jam dictam, quam Deus eis extorquere et tradere Abrahæ posteris jam parat et destinat, uti patet ex sequentibus.

APPARUIT AUTEM DOMINUS ABRAH, per Angelum, qui in corpore assumpto, quasi personam Dei representans vice Dei locutus est Abrahæ. Omnes enim corporales Dei apparitiones, quæ narrantur in veteri Testamento, non per Deum immediatè, sed per angelos esse factas, docent Patres.

SEMINI TUO DABO TERRAM HANC: posteris tuis Judeis, ex Isaac descendentibus, dabo Chanaanem.

Anagogicè, terra promissionis eorum, semen sunt fideles et sancti.

ÆDIFICAVIT IBI ALTARE, in quo scilicet Abram victimas Deo obtulit in gratiarum actionem, per Chanaanæ suis posteris à Deo promissâ. Nec dubium quin Abram suos eò evocaverit, quin et extraneos; atque coram eis verum Deum prædicaverit et celebraverit, promissionesque sibi factas confessus sit, insuperque Deum invocaverit. Omnia enim hæc altaris publici constructio in se complectitur, scilicet confessionem, laudem, prædicationem, oblationem et invocationem solennem et publicam.

VERS. 8. — AD MONTEM QUI ERAT CONTRA ORIENTEM (orientalis) BETHEL. Tostatus putat hunc montem esse Garizim et Hebal, de quo Deuter. 28. Est prolepsis; vocatur enim Bethel, que tum vocabatur Luz; nam postea à Jacobo vocata est Bethel c. 28, 19. Rectè S. Ambros.: *Ubi Bethel, inquit, est, hæc est domus Dei, ibi et ara; ubi ara, ibi et invocatio Dei nostri.* Hæreticis desinit ara et Bethel, ergo et vera invocatio cultusque Dei.

VERS. 10. — DESCENDITQUE IN ÆGYPTUM. Chanaanæ enim altior est Ægypto, ut eò peregrinus descendere debeat. Hinc et Ægyptus ob exundationem et oblimatio-

nem Nili fertilior Chanaanæ, non sensit hanc Chanaanæ famem. Adde, descendere in Scripturâ sæpè significat ire. Sapiens S. Ambros. l. 4 de Abraham c. 2: *Exercetur*, inquit, *athleta Dei et duratur adversus; in desertum abit, famem incidit, in Ægyptum descendit. Compererat in Ægypto lascivam esse juvenum luxuriam, etc. Monuit uxorem ut sororem se diceret. Sara ut tueretur maritum, mentita est germanitatem.*

VERS. 15. — DIC QUID SOROR MEA SIS. Non mentitur Abram: erat enim Sara ejus soror eo sensu quo dicam c. 20, v. 12.

Dices, saltem Abram hic uxorem suam exponit adulterii periculo. Ita Calvinus qui hic Abramum in leonocini suspicionem vocat. — Resp. negando idipsum; nam Abram Saræ tantum jubet tacere quod sit uxor, et verè dicere quod sit soror sua, idque ob præsens vitæ suæ periculum. *Periculum enim nunquam sine periculo pellitur.* Cavet ergo hic vitæ suæ Abram, ne, quia maritus, occideretur; quod cavere poterat et debebat; reliquum, quod cavere ob Ægyptiorum incontinentiam non poterat, Deo commendavit, videlicet ne uxor eriperetur et violaretur. Sciebat enim se in hoc præsertim articulo necessitatis, Deo curæ esse, capite quo hic pater fidei contra spem in spem credere. Ita S. August. l. 32 contra Faustum c. 55. Unde non malè censet Pererius, Abramum Dei instinctu hæc dixisse et fecisse. Adde, confusus est Abram constanti et castitati Saræ (tot enim annis eam pudicissimam expertus erat) quod nunquam peccato consentiret.

VERS. 15. — ET NUNTIARUNT. Hebraicè *vairu*, et viderunt. Ita et Septuag. Noster verò videtur legesse *viagiddu*. Facile enim 7 in 2, et 8 in 7 et 7 commutatur. Nostro favet, quod *et viderunt*, immediatè ante præcesserit unde non videtur mox repetitum fuisse à Mose.

IN DOMUM, non ad stuprum, sed ad matrimonium, quasi conjux saltem secundaria regis futura, ut patet. v. 19.

VERS. 16. — ABRAM BENE USI SUNT. Hebraicè *heteb*, id est, beneficiè, scilicet Pharaò (ac consequenter ad exemplum regis ceteri ejus aulici beneficiarunt) Abramo.

VERS. 17. — FLAGELLAVIT AUTEM DOMINUS PHARONEM, non adulterium, quia nesciebat esse conjugem Abre, sed ob vim Saræ illatam, quia invitam rapi jusserat. Verè S. Ambros. l. 2 de Abraham c. 4: *Afflictiones, ait, viri forti coronæ sunt, invalido infirmitates sunt.*

PLAGIS MAXIMS. Rabbinii carnales plagam hæc putant fuisse fluxum seminis, et impotentiam copule. Unde quod nos habemus, *propter Saræ*, hebraicè est, *propter verbum Saræ*: quod ipsi vertunt *propter angelum Saræ*; quod mirum hic angelus fuerit custos pudicitia Saræ, cumque ei diceret Sara: Percute talem (à quo scilicet ipsa suæ castitati timebat), mox percutiebat eum angelus, et faciebat impotentem; ita ut ad Saræ accedere, nec vellet, nec posset. Fabulæ hæc sunt Judaicæ. Secundò, Josephus plagam hæc cen-

set fuisse pestilentiam. Rursum tumultum et seditiones populares. Tertio, Philo et Perer. censent fuisse morbos et dolores gravissimos, ita ut nec diu, nec noctu quiescere aut respirare Pharaò posset. Quarto, catholici doctores passim censent fuisse sterilitatem, tam hominum, quam animalium; hæc enim pena ob similem Saræ raptum punivit Abimelech c. 20, v. 17 et 18. Hinc rectè refert Procopius Saram apud Pharonem castam et inviolatam permansisse. Deus enim qui hic injuriam Abre, per Saræ raptum illatam, tam graviter vindicavit, multò magis eidem eandem inviolatam servavit: unde hic impleri cepit illud Psal. 104, 14: *Non reliquit hominem nocere eis, et corrumpit pro eis reges.* Adde, solebant mulieres per plures dies ungi, ornari et præparari, antequàm ad thorum regis admitterentur, ut patet de Esther.

Videmus hic igitur primò, verum esse illud Psal. 145. *Dominus custodit advenam, pupillum et viduam suscipit.* Hujusmodi enim personæ derelictæ, Deo specialimodo curæ sunt: unde Ps. 9 dicitur: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.* Hinc in legè sæpè præcipitur, ne molesti sint peregrinis; hospitibus enim tutela et fides debetur. Videmus secundò, quantum Deus curet et protegat justos. Unus hic Abram justus plus Deo curæ est, quàm Pharaò cum omni regno, et 32 contra unum justum etiam regem flagellat. Quis igitur non libenter serviat Deo, qui tam fideliter suis adest et assistit? Videmus tertio, quod Deus specialis est vindex conjugii. Nesciebat rex Saram esse uxorem Abre, et tamen flagellatur cum totà domo: tantum peccatum est-adulterium.

Unde S. Ambros. lib. 4 de Abraham c. 2: *Unusquisque, ait, se castum præbeat, alienum non affecet thorum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate alienam incestet uxorem; non incuriã, aut stultitiã provocet mariti, aut absentia longiore. Adest præsul conjugii Deus, quem nihil lateat, nullus evadat, nemo irridat. Vicem absentis mariti tueretur, servat excubias, inò sine excubiis deprehendit reum, antequàm faciat quod paraverit; in animis singulorum, in mentibus universorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter sefellis, non fallis Deum; etsi maritum adulter sefellis, non fallis Deum; etsi maritum evaseris, etsi judicem fori laseris, non evades judicem totius mundi, ille gravissimè ulciscitur injuriam inopis, contumeliam imprudentis mariti. Subaudit Ambros. Abram meritum esse hæc Dei tutelam per pietatem, quæ Deo jubenti ut in Ægyptum descenderet, obediit. Nam quia studio obendi celestis oculi, uxorem quoque in periculum deducit pudoris, etiam castimoniam conjugii defendit, scilicet Deus. Sic in Viis Sanctorum legitimus, monachos à suis abbatibus missos ad feminas pietatis causâ, cum libidinis stimulo tentarentur, obedientiæ merito et presidio, oratione tentationem superasse. Tantas vires, tantam tutelam in periculis præstat obedientia.*

DOMUM EJUS. Nam aulici ejus et domestici ad Saræ raptum et detentionem concurrerant et juverant.

VERS. 18. — QUID UXOR TUA ESSET. Scivit id Pharaò revelante Deo, ait S. Chrysost. Addit Josephus, sacer-

dotes Ægyptiorum, in hæc plagâ deos, vel potius deorum suos consulentes, idipsum Pharaoni indicasse. Potuit denique Pharaò, tale quid suspicans, Saram interrogare, et ex eâ veritatem cognoscere, ut factum esse putat Pererius.

VERS. 19. — UT TOLLEREM, ut non dubitarem eam

CAPUT XIII.

1. Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus, et omnia que habebat, et Loth cum eo ad australem plagam.

2. Erat autem dives valdè in possessione auri et argenti.

3. Reversusque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel. usque ad locum ubi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai.

4. In loco altaris quod fecerat priùs, et invocavit ibi nomen Domini.

5. Sed et Loth qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, et armenta, et tabernacula.

6. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, et nequibat habitare communiter.

7. Unde et facta est rixa inter pastores gregum Abram et Loth. Eo autem tempore Chanaanæus et Pheræzeus habitabant in terrâ illâ.

8. Dixit ergo Abram ad Loth: Ne, quæso, sit iurgium inter me et te, et inter pastores meos, et pastores tuos: fratres enim sumus.

9. Ecce universa terra coram te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

10. Elevatis itaque Loth oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, que universa irrigabatur antequàm subverteret Dominus Sodomam et Gomorram, sicut paradisus Domini et sicut Ægyptus venientibus in Segor.

11. Elegitque sibi Loth regionem circa Jordanem, et recessit ab Oriente: divisique sunt alterutrum à fratre suo.

12. Abram habitavit in terrâ Chanaan: Loth verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis.

13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, et peccatores coram Domino nimis.

14. Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Loth: Leva oculos tuos, et vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem et meridiem, ad orientem et occidentem.

15. Omnem terram, quam conspicias, tibi dabo et semini tuo usque in sempiternum.

16. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ: si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.

17. Surge, et perambula terram in longitudine, et

(putans esse liberam) tollere mihi in uxorem. Tradit Josephus, Ægyptios ab Abramo mathesis didicisse; verum à Josepho, Mose et Hebræis in Ægypto habitantibus potius id factum esse videtur, idque indicatur Psal. 104, 21; nam Abram non videtur diù hæsisse in Ægypto.

CHAPITRE XIII.

1. Abram étant donc sorti de l'Égypte avec sa femme et tout ce qu'il possédait, et Loth avec lui, alla dans la partie du pays de Chanaan qui est du côté du midi.

2. Il était très-riche, et avait beaucoup d'or et d'argent.

3. Il revint ensuite dans la partie méridionale du pays de Chanaan vers Béthel, par le même chemin qu'il était venu; et il alla dresser sa tente où elle était auparavant, entre Béthel et Hai.

4. On était l'autel qui avait été bâti avant son départ; et il invoqua en ce lieu le nom du Seigneur.

5. Loth, qui était avec Abram, avait aussi des troupeaux de brebis, des troupeaux de bœufs et des tentes.

6. Le pays ne leur suffisait pas pour pouvoir demeurer l'un avec l'autre, parce que leurs biens, qui consistaient presque tous en troupeaux, étaient fort grands, et qu'ayant besoin de grands pâturages, ils ne pouvaient subsister ensemble.

7. C'est pourquoi il s'excita une querelle entre les pasteurs d'Abram et ceux de Loth. En ce temps-là les Chananéens et les Phérézéens habitaient en cette terre, et ils avaient pu profiter de la mésintelligence d'Abram et de Loth pour les détruire.

8. Abram dit donc à Loth: Qu'il n'y ait point, je vous prie, de dispute entre vous et moi, ni entre mes pasteurs et les vôtres, parce que nous sommes frères, c'est-à-dire, proches parents, et que nous devons conserver avec soin l'union que Dieu a mise entre nous.

9. Vous voyez devant vous toute la terre; retirez-vous, je vous prie, d'après de moi; si vous allez à la gauche, je prendrai la droite; si vous choisissez la droite, j'irai à la gauche.

10. Loth élevant donc les yeux, considéra tout le pays situé le long du Jourdain, qui s'étendait de ce lieu-là jusqu'à ce qu'on vienne à Segor, et qui avait été détruit par Dieu; Sodomé et Gomorrah. Paraisait un pays très-agréable, tout arrosé d'eau, comme un jardin de délices, et comme l'Égypte, qui est arrosée des eaux du Nil.

11. Et il choisit sa demeure vers le Jourdain, en se retirant vers la Pentapole, qui est du côté de l'Orient: Ainsi les deux frères, c'est-à-dire, l'oncle et le neveu, se séparèrent l'un de l'autre.

12. Abram demeura dans la terre de Chanaan; et Loth dans les villes qui étaient aux environs du Jourdain: et il habita ensuite dans la ville de Sodomé.

13. Or les habitants de Sodomé étaient devant le Seigneur des hommes perdus de vices, et leur corruption était montée à son comble.

14. Le Seigneur dit donc à Abram, après que Loth se fut séparé d'avec lui: Levez vos yeux, et regardez du lieu où vous êtes, au septentrion et au midi, à l'orient et à l'occident.

15. Je vous donnerai pour toujours, à vous et à votre postérité, tout le pays que vous voyez.

16. Je multiplierai votre race comme la poussière de la terre: si quelqu'un d'entre les hommes peut compter la poussière de la terre, il pourra compter aussi la suite de vos descendants.

17. Parcourez donc présentement toute l'étendue de cette terre dans sa longueur et dans sa largeur; regardez-la comme un héritage qui doit un jour vous appartenir, parce que je vous la donnerai très-